TRACTATUS DE RECEPTIONE ET USU PECUNIÆ RELATE AD FRATRES…

Francescani



TRACTATUS
DE RECEPTIONE
ET USU PECUNIÆ.

R E L A T

AD FRATRES MINORES REGULARIS
OBSERVANTIÆ

S. P. FRANCISCI.





FLORENTIÆ. MDCCLXV.
Ex Typographia Joannis Baptistæ Stecchi
Superiorum permissu.

DE RECEPTIONE
ET USU PECUNIÆ.

Relatè ad Fratres Minores Regularis Observantiæ S. P. Francisci.

INTRODUCTIO.



CUM circa Præceptum de non recipienda pecunia, quod tanquam capitale in Minoritica Regula haberi debet (quemadmodum illud vocat Innocentius XI. Const. incip *Solicitudo* 20. Novemb. 1679.) etsi toties a Summis Pontificibus declaratum, nonnullas adhuc noverim difficultates moveri; ratus id ex eo provenire, quod Pontificiæ super illud Declarationes minùs methodicè digestæ habeantur; in animum idcircò induxi meum, rem clariori, distinctiorique methodo exponere, novas Declarationes antiquioribus superaddendo; ut sic veritas magis in propatulo posita, cuilibet nullo negotio innotescat, & palàm fiat.

Itaque ante omnia imploraro Supremi Numinis auxilio, a necessariis quibusdam proponendis Notionibus exordium sumamus.

A 2 NO-

1 I. NOmen pecuniæ, generatim, & latè sumptum, quemadmodum habetur in Statutis nostris Vallisoletanis anni 1593. tit. *De non recipiendis pecuniis*, & colligitur ex cap. *Exivi in Clem. de verb. sign.* §. 15. *Hinc est etiam*, nedum denarios, sivè nummos, aut monetas importat, sed & res quaslibet comprehendit pretio æstimabiles, quarum usus in propria specie, ei qui illas habet, attento statu suo, non convenit: undè fit, quod ei res ejusmodi nulli usui esse possint, nisi in denarios, sivè nummos, aut monetas convertantur: quales, respectu personæ religiosæ, essent v.g. enses, sclopeti, aliaque militaria arma. Speciatim tamen, atque strictè loquendo, nomine pecuniæ, denarii, sivè nummi, aut monetæ intelligi semper solent: & quidem non abs re; cùm, ut proximè dictum est, res aliæ, quæ pecuniæ nomine venire possunt, ex eo sic nominentur, quod valeant in denarios, seu nummos, aut monetas converti; nec aliter possint ei, qui illas habet, ulli usui esse. Quapropter hoc in Tractatu, quoties pecuniam nominaverimus, specialem, & strictam *pecuniæ* acceptionem retinendo, semper pecuniæ nomine *denarios* intelligemus.

2 II. Triplici duntaxat via potest contingere, ut Fratribus Minoribus, de quibus hic sermo est, pecunia, seu denarii obveniant; vel scilicet per spontaneam benefactorum oblationem, vel pro laborum ab ipsis Fratribus patratorum mercede, vel denique per quæstuationem, quæ sunt tres viæ, quas Nicolaus III. (loquendo de rebus, quarum usum Fratribus Minoribus habere licet) cap. *Exiit de verb. sign. in 6.* §. 8 *Nec quidquam* indigitat, tanquam in Regula eorumdem Fratrum expressas, ad hoc ut ipsimet Fratres, abdicato licèt rerum omnium, tàm in speciali, quàm in communi dominio, dici tamen adhuc possint servare in... viam provisionis humanæ, neque se temerè,

&

& quasi Deum tentando, Divinæ Providentiæ committere.

III Qualibet ex his tribus viis pecunia Fratribus obveniat, ut dictum est, pluribus adhuc modis potest contingere, ut ipsi eam recipiant; vel scilicet per seipsos; vel per personas interpositas, seu deputatas ab ipsis; vel per Syndicum Apostolicum: quo postremo in casu non verè dicentur Fratres pecuniam ipsi recipere; sed veriùs dicetur eam recipere Syndicus Apostolicus, nomine Sanctæ Sedis, seu Romani Pontificis, in Fratrum necessitates, prout opus fuerit, non veluti ex ipsorum Fratrum jussu, sed tanquam ex Apostolicæ Sedis commissione, expendendam. 3

IV. Loquendo de pecuniæ quæstuatione, plura ulteriùs notanda sunt. Et primò notandum est, dupliciter pecuniam quæstuari posse, *directè* videlicèt, & *indirectè*. Tunc dicitur pecunia quæstuari *directè*, quando ipsa pecunia in se, ab amicis & benefactoribus postulatur. Tunc verò *indirectè* quæstuatur pecunia, quando non ipsa pecunia petitur; sed amicis & benefactoribus propriæ exponuntur necessitates; & ex hoc moventur ipsi ad pecuniam elargiendam, ut sic expositis necessitatibus subveniant. 4

V. Circa pecuniæ quæstuationem *directam*, relatè ad Fratres Minores consideratam, notandæ insuper veniunt circumstantiæ *finis*, *loci*, ac *modi*. Fieri namque primò potest ratione *finis*, ut vel pecunia quæstuetur pro ipsis Fratribus, aut pro eorum Conventu, Ecclesia, Sacristia, aliisve necessitatibus; vel ut quæstuetur pro aliqua alia causa pia, Fratrum utilitatem nullatenus concernente. Secundò fieri potest ratione *loci*, ut vel pecunia quæstuetur in ipsa Fratrum Ecclesia; vel ut quæstuetur alibi extra Ecclesiam Fratrum. Tertiò denique fieri potest ratione *modi*, ut vel pecunia quæstuetur a Fratribus per seipsos; vel ut quæstuetur a personis interpositis, hoc est ad id muneris, per Fratres ipsos auctoritate propria deputatis, seu electis; 5

vel ut quæstuetur a Fratrum Syndico Apostolico per se, vel per suos substitutos, tanquam auctoritate, & ex commissione Apostolicæ Sedis; vel tandem ut quæstuetur a personis extraneis, nullatenùs ad Fratres ipsos attinentibus, sed tamen de consensu, aut etiam ex impulsu Fratrum.

Atque hæc sunt, quæ in ipso limine prænoscenda, ac prænotanda putavimus.

MONITA.

6 I. IN Propositionibus, quæ mox subsequentur, stabiliendis, non aliunde rationes, & argumenta depromemus, quàm vel ex ipsa Fratrum Minorum Regula, ab Honorio III. Summo Pontifice per Bullam incip. *Solet annuere* sub dat. Laterani 29. Novemb. 1223. confirmata; vel ex Declarationibus aliorum Romanorum Pontificum, super eamdem Regulam exaratis; præsertim verò ex duplici Decretali Nicolai III. & Clementis V., quarum prior data sub die 15. Aug. 1279., continetur cap. *Exiit de verb. sign. in 6.*; altera verò edita in Concilio Generali Viennensi anno 1311. extat in Clementinis cap. *Exivi eod. tit.*: quas duas Decretales, sive Declarationes summa semper Ordo noster in veneratione habuit, & posteriores Pontifices maximè commendarunt

7 II. Ubicunque in hoc Tractatu aliquid Fratribus licitum asseruerimus, id tàm relatè ad Subditos, quàm relatè ad Superiores intelligendum volumus: cum hoc tamen discrimine, quod Subditus habere debeat Superioris sui opportunam ad id, & necessariam commissionem seu licentiam, quæ Superioribus, ut de se patet, necessaria non est. Similiter cùm quidpiam Fratribus illicitum pronuntiaverimus, id cùm de Subditis, tùm de Superioribus erit intelligendum.

Jam autem ad institutum accedamus.

PRO-

PROPOSITIO I.

Fratribus Minoribus nullatenus licet, tàm per se, quàm per personas interpositas, pecuniam, aut denarios recipere; sive pecunia ipsis ab amicis & benevolis sponte & liberaliter oblata fuerit; sivè pro mercede laborum ab ipsis Fratribus patratorum fuerit exhibita.

Probatio. Habetur hæc Propositio expressissima in ipso cap. 4 Minoriticæ Regulæ, quod ita incipit: *Præcipio firmiter Fratribus universis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant*. Et quidem quòd hæc prohibitio recipiendi pecuniam Fratres afficiat, tum in casu quo ea liberaliter ab amicis offeratur, cùm in casu quo ipsa exhibeatur pro mercede laborum; quantum ad primum, statim subditur eodem cap. 4. Regulæ, quod Ministri & Custodes debent quidem per amicos spirituales curare solicitè, ut Fratrum infirmorum necessitatibus subveniatur, & ut cæteri Fratres necessario vestimento non careant; sed tamen (subnectitur) *eo semper salvo, ut (sicut dictum est) denarios, vel pecuniam non recipiant*: ex quo inferes, non licere Fratribus pecuniam recipere (supple, tàm per se, quàm per personas interpositas; hoc enim suprà dictum fuerat) cùm ab amicis & benevolis charitativè, & liberaliter oblata fuerit. Quantum verò ad alterum, id expressè vetatur ejusdem Regulæ cap. 5., ubi præscribitur, quod *Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter & devotè*; & quod *de mercede laboris, pro se & suis Fratribus, corporis necessaria recipiant*; sed tamen subjungitur illicò: *præter denarios, vel pecuniam*: ex quo patet, quod sicut Fratribus non licet per se, aut per personam interpositam, pecuniam recipere, cùm liberaliter oblata fuerit; ita nec licet eam similiter recipere, cùm exhibita fuerit pro mercede laborum. Cujus rigorosissimæ prohibitionis veluti ra[tio]...

recedens, seu veriùs circa eam spiritum Seraphici Fundatoris exponens Innocentius X., in sua Bulla *Solicitudo* data sub die 20. Novemb. 1679, inquit: *Aliarum enim rerum necessariarum possunt Fratres Minores habere usum, licèt non dominium; denariorum autem nec dominium, nec usum.*

COROLLARIUM.

9 Legitimè hinc infertur, non posse Fratres Minores pecuniam per se, aut per personam interpositam, retinere: si enim ipsis prohibetur pecuniæ receptio, multò magis prohibita eis censeri debet ipsius pecuniæ retentio, quæ magis, quàm simplex receptio, ut nemo non percipit, præcepti fini adversatur; plus enim est, per habitum permanentem quidpiam retinere, quàm per simplicem actum transeuntem illud recipere: & insuper retentio receptionem supponit, quam Fratribus vidimus esse omninò prohibitam.

PROPOSITIO II.

Potest tamen, & debet pecuniam Fratribus liberaliter oblatam, aut pro laborum ab ipsis Fratribus patratorum mercede exhibitam, nomine Sanctæ Sedis recipere, per se, vel per suos Substitutos, Syndicus Apostolicus, ad id muneris auctoritate Apostolica deputatus.

Nota. Priusquam ad præsentis Propositionis probationem tentamus, de Syndicorum Apostolicorum pro Ordine nostro Minoritico institutione, antiquitate, & officiis, pauca quædam necessariò non ignoranda præmittenda sunt.

10 Equidem primus omnium Ordini nostro Syndicos Apostolicos concessit sivè assignavit Innocentius IV. per suam Const. incip. *Quantò studiosiùs* de die 19. Augusti 1247.

1247., anno scilicèt 24. postquam Honorius III. Regulam nostram confirmaverat. In qua quidem Constitutione facultatem fecit Ordinis nostri Generali, & Provincialibus Ministris constituendi in Provinciis sibi commissis, aliquos viros idoneos Deum timentes, qui pro Locorum indigentia singulorum, res Ordini nostro concessas vel concedendas (de quibus Fratres, juxta Ordinis instituta, per se disponere nequeunt) auctoritate Apostolica, liberè petere, vendere, commutare, alienare, tractare, expendere, vel permutare, ac in usum Fratrum convertere possent; secundum dispositionem eorumdem Ministrorum; pro necessitatibus, vel commodis Fratrum, sicut videbitur expedire. Declaravitque insuper, licere dictis Ministris, eosdem viros sic constitutos amovere, aliosque ad præmissa exequenda, sine difficultate qualibet subrogare, quoties viderint opportunum,

11 Concessionem præfatam Innocentii IV. ratam habuit, probavitque anno 1265. Clemens IV., quando per suum Diploma, quod incipit *Cùm dilectis* datum sub die 13. Julii ejusdem anni, tres nobiles Perusinos viros Syndicos Apostolicos instituit, pro omnibus Conventibus, & Locis Provinciæ S. Francisci; quibus nedum auctoritatem ipsis ex præfata Constitutione Innocentii IV. attributam asseruit; sed eis ulterius concessit, ut etiam in Curiis possent, nomine S. Sedis, caussas temporales ad Fratres pertinentes agitare, & defendere; idque tàm per seipsos conjunctim vel divisim; quàm etiam per alias personas, ab ipsis ad id muneris destinandas, sive constituendas, auctoritate Apostolica præstare valerent.

12 Summus verò Pontifex Nicolaus III. in sua Decretali, quam edidit sub die 15. Augusti 1279., & quæ continetur cap. *Exiit de verb. sign. in 6.*, licèt Syndicorum Apostolicorum deputationem generaliter non præscripserit; attamen in aliquibus casibus, & pro obeundis quibusdam ministeriis, eos Ordini nostro neces-

sa-

farios agnovit, & concedendos judicavit; dum citati capit. §§ 19. *Quia verò libros*, ait, quod ubi libros, & res alias mobiles (quibus Fratres utuntur, & quarum dominium ad Ecclesiam Romanam specialiter spectat) interdùm, æstimato pretio, vendi contigerit; cùm Fratribus ipsis, per se, vel per alium recipere pecuniam (Regula prohibente) non liceat; talis pecunia, seu pretium recipiatur, & expendatur in rem licitam, cujus usum Fratribus licet habere, per Procuratorem a præfata Sede Apostolica, vel a Cardinale Ordinis Protectore, deputandum &c; quo in loco clarum est, Nicolaum III. Syndicorum Apostolicorum usum, ac deputationem Ordini nostro limitare quidem, ac restringere, sed non penitus tamen improbare.

13 In ampliori autem forma Syndicorum Apostolicorum concessionem Ordini nostro fecit, seu renovavit per suam Constitutionem *Exultantes in Domino* sub die 15. Januarii 1283. Martinus IV.; qua in Constitutione, Ordinis nostri Generali, ac Provincialibus Ministris, & Custodibus concessit, ut aliquas personas, quæ non sint de ipso Ordine, prout opportunum foret, nominare possent: quas personas sic nominatas declaravit, esse veros, ac legitimos Administratores, OEconomos, Syndicos, Actores, & Procuratores; decrevitque, ut Procuratores hujusmodi, res quascunque pro Fratribus oblatas, vel ad Ordinem, & ejus Professores quomodolibet pertinentes, & earum pretium, nomine Sanctæ Romanæ Ecclesiæ reciperent, & circa eas legitimam, generalem, & liberam administrationem haberent; resque prædictas in prædictorum Fratrum utilitates, prout eis ex Regula, & eius Declaratione licet, converterent, quando, & quoties a prædictis Ministris, vel aliis Fratribus Ordinis ejusdem, ipsorum concessu, vel consensu, requisiti essent; & generaliter concessit, quod prædicti Procuratores facultatem haberent procurandi in omnibus causis, pro rebus, & locis ad Ecclesiam Romanam spectantibus, & ipsorum Fratrum

trum usui concessis; necnon pro immunitatibus, ... tatibus, privilegiis, & juribus eorumdem F... ... , & ad eorum Loca spectantibus.

Eamdem Martini IV. circa Syndicos concessionem, 14
in omnibus, & per omnia, iisdemque penè verbis confirmavit Nicolaus IV. per suas Apostolicas Litteras quarum initium est: *Religionis favor*, datas sub die 5 21. Novemb. anni 1490.

Cum verò Joannes XXII. per suam Decretalem 15
datam sub die 2. Decemb. 1322. quæque habetur inter Extravagantes hujus Pontificis cap. *Ad Conditorem de verb. sign.*, Ministris, Custodibus, & Fratribus nostri Ordinis, ne Litteris, & concessione Martini IV., sine speciali Sedis Apostolicæ licentia uterentur, inter cætera, prohibuisset; Summus postea Pontifex Bonifacius IX. suis Apostolicis Litteris datis sub die 18. Aprilis anni 1395. & quarum initium: *Vestræ Sacræ Religionis*, Constitutionem *Exultantes in Domino* laudati Martini IV. in suo vigore reposuit, innovavitque; declarans, se velle per hoc, nullum jus nobis de novo acquiri, sed antiquum tantummodò conservari.

Verùm cùm laudatus Bonifacius IX. Constitutionem quidem Martini IV. restituerit, atque innovaverit, ut dictum est, sed tamen Decretalem *Ad Conditorem* Joannis XXII. non expressè revocaverit; Ministri, Custodes, & Fratres Ordinis nostri, anno 1428 Summo Pontifici Martino V. exponi fecerunt, quòd licèt ipsi ex Litteris, & concessione Martini IV., magnum commodum, quo puram in ipso Ordine observantiam tenere, & quietiùs Divinis Officiis, & contemplationi vacare valerent, se consequi, reportareque, prospicerent; ipsimet tamen (piæ mem. Joannis Papæ XXII. Constitutione, quæ incipit *Ad Conditorem*, per quam ipsis, ne Litteris, & concessione prædictis, sine speciali Sedis Apostolicæ licentia utantur, inter cætera, prohibetur, obstante) Litteris, & concessione prædictis, sine conscientiarum suarum scrupulo, licitè uti non possunt

posse, formidarent, licentia hujusmodi desuper non obtenta; proindèque dicti Ministri, Custodes, & Fratres fecissent huic Pontifici humiliter supplicari, ut super his, eis, & eorum statui, & commoditatibus paternaliter providere, de benignitate Apostolica dignaretur: ipse Pontifex Martinus V., ex præmissis, & certis aliis causis animum suum moventibus, hujusmodi supplicationibus inclinatus, voluit, & auctoritate Apostolica, tenore Apostolicarum suarum Litterarum, sub die 1. Novemb. præfati anni 1428. editarum, & quarum initium: *Amabiles fructus*, Ministris, Custodibus, & Fratribus prædictis concessit, quod ipsi Litteris prædictis Martini IV., ac omnibus in eis contentis liberè, & licitè uti valerent, tandiu, & quousque per prædictam Sedem Apostolicam aliud in præmissis eidem Ordini utilius fuisset ordinatum: Non obstantibus præmissa Constitutione *Ad Conditorem*, & aliis, cæterisque contrariis quibuscunque.

17 Per hactenus adductas Pontificias Constitutiones (ut ex earum tenore liquet) facultas duntaxat fit Superioribus nostri Ordinis, Syndicos Apostolicos nominandi, eosque sic nominatos, tanquam a Sancta Sede constitutos habendi; sed nullum tamen quoad hoc apparet Pontificium mandatum. Verum idem Pontifex Martinus V. per aliud subsequens Decretum, ulteriùs mandavit, etiam sub pœna carceris, ut quilibet Conventus Fratrum Ordinis nostri haberet Syndicum, apud quem omnes eleemosynæ pecuniariæ deponi deberent: nec propterea ipsi Fratres essent, aut dici deberent Regulæ suæ transgressores, aut ab ea absoluti; cùm tales Syndici sint amici spirituales, per quos, secundùm Regulam, Ministri, & Custodes, Fratrum necessitatibus providere debent.

18 Cùm autem Constitutiones omnes hactenus recensitæ editæ fuerint antequam Fratres Minores de Observantia a Conventualibus per Leonem X anno 1517. segregati essent: non defuit qui postea dubitaret, quin

eæ

eæ benè aptarentur puritati Regulæ Minoriticæ, quam Fratres de Observantia profitentur; & aliquam proinde super ipsa Regulæ puritate dispensationem continerent; ac propterea ipsi Fratres de Observantia tanquam Regulæ suæ transgressores, aut ab ejus puritate absoluti traducerentur; omnem dubitationem, omnemque pravam de Fratribus prædictis existimationem substulit per suam Constitutionem datam sub die 9 Septembris 1530. quæque incipit: *Vacantibus sub Religionis*, Summus Pontifex Clemens VII. Attendens namque hic Pontifex (ut ibidem præfatur) Procuratores, Oeconomos, & Syndicos sæpè memoratos, ob periculum animarum, & regularem observantiam, ac ut Fratres ipsi divinis beneplacitis liberiùs vacare possent, institutos, ac ordinatos, seu concessos fuisse; ac certum numerum Syndicorum, libertatem recurrendi ad amicos spirituales magis arctare, quam incertum; Fratres enim infirmi (hoc est debiles ac minùs perfecti) cum periculo animarum suarum, sine scitu Prælatorum suorum, faciliùs eleemosynas apud amicos spirituales indeterminatos tenere possent: idcircò confirmans præfatum Martini V Decretum, iterùm decrevit, declaravitque, Syndicos, auctoritate, seu vigore Litterarum Innocentii IV., Clementis IV., Martini IV., & Martini V., pro tempore deputatos, amicos spirituales in Regula expressos esse, & censeri debere; districtiùs inhibens quibusvis personis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub majoris excommunicationis sententiæ poena, eo ipso, si contrafecerint, incurrenda, ne propterea ipsos Fratres infamare, aut calumniari quoquo modo præsumant.

Omnes denique præmissas Romanorum Pontifi- 19
cum, & notanter Martini IV. & V. Apostolicas sanctiones circa Apostolicos Syndicos, confirmavit, & innovavit Summus Pontifex Paulus IV. per suam Constitutionem incip. *Ex Clementi Sedis Apostolicæ*, datam sub die 1. Julii 1555.; quam Constitutionem, utpotè

quæ

quæ uberiùs, & distinctiùs ea omnia continet, quæ Syndicos Apostolicos spectant, veluti omnium Constitutionum præcedentium instar, nos semper laudaturi sumus hoc in Tractatu, ubicunque Syndicorum occurrerit mentio.

20 In ea igitur Summus hic Pontifex, iterùm circa Syndicos Apostolicos declarat, & decernit ut sequitur „ Primò decernit, *quod Minister Generalis per se in toto Ordine, & singuli Provinciales Ministri, ac Custodes universi, pro tempore existentes, ipsius Ordinis Fratrum Minorum, in suis Provinciis, & Custodiis respectivè, & ad hoc ab iis respectivè deputati Fratres pro tempore, possint nominare speciales personas, quæ non sint de dicto Ordine Minorum, pro Locorum indigentia singulorum, quando, & quoties opus fuerit, in singulis eorum Conventibus: quas personas taliter nominatas pro tempore, in mobilibus, & immobilibus bonis, & aliis etiam pecuniariis,* Fratribus *quomodolibet oblatis, concessis, legatis, & donatis, etiam pro Missis, & aliis Divinis Officiis, eleemosynis, & aliis rebus, administrationem legitimam, & generalem, ac liberam gerere: & ipsas veros, & legitimos Administratores, Oeconomos, Syndicos, & Actores esse, de potestatis plenitudine constituendo,* Apostolica *auctoritate etiam decernit.*

21 Secundò, quod ii Syndici res ipsas (Fratribus oblatas &c.) *& rerum ipsarum pretium, & prædictas eleemosynas, nomine Romanæ Sedis (ad quam rerum omnium mobilium, & immobilium, quibus Fratres uti possunt, jus proprietas, & dominium, nullo medio, spectat) recipiant, & recipere possint, & debeant, pro eisdem in Fratrum ipsorum utilitatem, etiam pro victu, & vestitu eorum, ac reparatione Conventuum, & aliarum rerum, locorum Conventuum, & Fratrum hujusmodi necessitatibus, pro tempore convertenda; sicut, & quando a dictis Generali in toto Ordine, & Provincialibus Ministris, & Custodibus prædictis, & eorum singulis pro tempore, in Provincia, vel Custodia sibi decreta, vel ab eisdem Fratribus, de assensu eorum extiterint requisiti.*

Ter-

Tertiò quod *eadem persona*, sic deputatæ, seu iidem 22
Syndici, *petendi, exigendi, eecipiendi, alienandi prædicta; transigendi quoque, pacifeendi, coaveniendi, compromittendi, commutandi, remittendi, refutandi, quietationem faciendi, agendi, defendendi, & in animas eorum de calumnia, & veritate dicenda jurandi, & cujuslibet alterius generis juramentum peaftandi, cum illis, & contra illos, qui bujusmodi res mobiles, & immobiles, aut peetium eaeum, vel relictas eleemosynas Fratribus in Testamentis, aut aliàs eis donatas, & concessas, oecuparent, vel violenter auferrent, sivè contra voluntatem Featrum quomodolibet retinerent: & generaliter in omnibus causis, pro rebus, & locis bujusmodi ad ipsam Eeclesiam spectaatibus, ipsorum Fratrum usui coneessis; necnon pro immunitatibus, & libeetatibus, juribus, & pervilegiis, ac indulgentiis corumdem, sine cujuslibet satisfactionis, & cautionis oneee, pleaam, generalem, & liberam habeant auctoritatem; peafata auctoritate Apostolica, in judicio, & extra illud, potestas m concedit.*

Præterea *eevocandi quoque peesonas easdem* (seu Syn- 23
dicos) *& earum* (personarum) *quamlibet; ac alias subrogandi, vel nominandi per supradictum modum nominationis, quoties opportunum fuerit; qua eamdem in prædictis, vel similem habeant potestatem; plenam, & liberam Generali, ac Peovincialibus Ministris, ac Custodibus hujusmodi, & eoeum singulis, eadem auctoritate, facultatem etiam concedit.*

Denique declarat, *propter præmissa, Fratres Minores hujusmodi, contra Regulam S. Francisci, quam professi fuat, & prositen ur in futurum, sivè contra Statuta regularia sui Ordinis, in aliquo nec facere, nec feeisse: imò cum illius observatione, quoad hoc, & pura, & sana conscientia, sine alicujus conscientia serupulo vixisse eatenus, & in posteum vivere.*

Et quidem præmissas omnes, & præsertim Marti- 24
ni IV. & V., & Pauli IV., circa Syndicos, disposi-
tiones, nedum ullus posteriorum Pontificum revocavit,
im-

improbavit, aut immutavit unquam; sed expressè ratas habuit, confirmavitque Innocentius XI. in sua Const. *Sollicitudo*, sup. cit. num. 8., in qua §. *Declarantes* sic habet: *Declarantes tamen pariter, quod per præmissa* (præced. §.) *non prohibentur in dicto Ordine* (Minorum de Observantia) *Syndici Apostolici; cùm eorum usus non sit dispensatio in Regulæ, sed modus a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris provisus, pro puriori illius observatione; sivè ejusmodi Syndici assumantur ad præscriptum Constitutionum Nicolai III., & Clementis V. prædecessorum prædictorum; sivè secundùm dispositionem rec. mem. Martini IV., & Martini V., & Pauli IV. prædecessorum pariter nostrorum; prout illorum usus in singulis Familiis, Congregationibus, Reformationibus, aut Provinciis Ordinis prædicti respectivè fuit receptus.*

Atque hæc sunt quæ circa Syndicos Apostolicos, hic semel pro semper, duximus esse notanda. Nunc autem sit.

25 *Probatio Propositionis.* Veritas Propositionis secundæ jam suprà expositæ, affirmantis nimirùm, quod possint, & debeant pecuniam Fratribus liberaliter oblatam, aut pro laborum in rcede exhibitam, nomine S. Sedis recipere Apostolicus Syndicus; patet manifestissimè ex tenore mox recensitæ Constitutionis Pauli IV. ubi inter cætera dicitur, atque in terminis decernitur, quod *ipsi Syndici res Fratribus oblatas, & earum pretium; necnon eleemosynas etiam pecuniarias, tùm Fratribus oblatas, aut donatas, tùm etiam pro Missis, & aliis Divinis Officiis concessas, aut legatas, nomine Romanæ Ecclesiæ, recipiant, & recipere possint, & debeant*: quibus ad astruendum intentum, nil clarius, & expressius optari poterat.

COROLLARIUM.

26 Hinc infertur, & expressè etiam habetur, ut patet, in ipsa Bulla Pauli IV., quod possint, & debeant

beant Syndici Apostolici, pecuniam, Fratrum intuitu, ad eorum manus delatam, nomine item S. Sedis, apud se conservare, donec a Fratribus, ut ibidem dicitur, requisiti fuerint, & rogati, ut illam in eorum necessitates expendant.

PROPOSITIO III.

Nequeunt Fratres Minores pecuniam oblatam, aut pro mercede exhibitam, per se, aut per personas interpositas, recipere, etiam ut eam deferant ad suum Apostolicum Syndicum: sed hujusmodi receptio fieri omninò debet ab ipso Syndico per se, vel per suos Substitutos; seu ipsis pecuniam dantibus incumbere debet, ipsam ad manus Syndici, aut hujus Substitutorum, alter, quam per Fratres, pervenire facere.

Probatio. Colligitur Propositionis hujus veritas ex cap. *Exiit de verb. sign. in 6. §. 11. Caterum, & c. usque ad §. 15. Ad majorem, incl*; ubi Nicolaus modum assignat, quo se gerere tunc deberent Fratres Minores, in casu, quo ab aliquo Amico spirituali, ad solvenda eorum debita jam contracta, vel ad subveniendum ipsorum ingruentibus, vel imminentibus necessitatibus, aliqua pecuniaria eleemosyna oblata esset. Cum enim tunc temporis in usu non essent, saltem universaliter, Apostolici Syndici; decernit Pontifex, & declarat, quod si dans eleemosynam nequiret, aut nollet per seipsum, pecuniam a se in eleemosynam Fratribus destinatam, in eorum necessitates expendere, neque in promptu haberet fidelem personam, cui vices suas hoc in negotio committeret; possent Fratres eidemmet eleemosynam facienti personam aliquam nominare, aut etiam præsentare, cui, si ipsi benefactori placitum foret, committi posset executio prædictorum: Et insuper, quod 27

possent iidem Fratres, imò deberent, ab eodem benefactore, seu dante eleemosynam, petere assensum, pro subroganda persona altera ad dictum ministerium obeundum, in casu, quo prima persona, cui fuit id muneris ab ipso dante primitus commissum, impotens redderetur ad ipsum implendum: Et quando etiam secunda persona primæ subrogata impotens & ipsa similiter redderetur, posset etiam tertia persona subrogari; & sic deinceps: Et insuper addit, quod si in progressu, aliquam ulteriorem novæ adhuc personæ subrogationem fieri opus esset, quæ benefactori, utpotè non prævisa, non fuit initio exposita, neque ad hoc ab ipso fuit facultas obtenta; nec esset amplius locus talem facultatem ab eodem obtinendi, quia ipse e. c. absens est; possent Fratres ab ultima persona, dantis auctoritate designata, & impotente effecta, ulterioris personæ subrogationem simili modo impetrare; donec tandem eleemosyna pecuniaria foret in rem deputatam, & ipsis Fratribus necessariam conversa: qualiter si se Fratres gererent, concludit Pontifex, quod it dici non possent, per se, vel per interpositam personam, pecuniam recipere, contra Regulam, vel professionis sui Ordinis puritatem; cùm sic non solùm a receptione, dominio, & usu pecuniæ, sed etiam ab ipsius pecuniæ contrectatione qualibet, se penitus exhiberent alienos.

28 Ex hac, inquam, Nicolai III. doctrina haud obscurè colligitur nostræ Propositionis veritas. Siquidem dicit ibidem Pontifex, Fratres non agere contra Regulam, & professionis sui Ordinis puritatem, si curent, ut eleemosyna pecuniaria sibi oblata vel ex manu eam dantis immediatè, vel per manus unius, aut etiam plurium personarum extra Ordinem constitutarum, de licentia saltem præsumpta ipsius met dantis, successivè subrogatarum, in rem deputatam, & ipsis Fratribus necessariam, transeat, & convertatur; quia nempè Fratres in casu, a quali-

bet

bet pecuniæ contrectatione sunt alieni; Undè a contrario inferre licet, quod si aliter se gererent Fratres, & pecuniam ipsi per se, etiam de dantis licentia & assensu, contrectarent; eam de manu dantis v. g in suas manus recipiendo, & ad suum creditorem danti significatum, aut etiam ad nuncium dantis absentem, qui eam Fratrum creditori solveret, vel in Fratrum necessitates expenderet, deferendo, contra propriam Regulam, & professionis suæ puritatem agere t: quod ne contingeret, præmissas cautelas, procurandi nimirùm, ubi opus fuerit, plurium personarum extra Ordinem constitutarum, ad id muneris deputationem, subrogationemve, Pontifex præscribere necessarium putavit. Jam autem ad rem nostram. Si quo tempore Syndicorum Apostolicorum usus nondum in præcepio erat, sicuti nunc est (ut diximus sup. n. 17.) illicitum erat Fratribus pecuniam de manu dantis recipere, & eam per seipsos ad quemcunque deferre; nedum scilicet ad creditorem ipsum, seu ad vendentem res ipsis Fratribus necessarias, sed etiam ad nuncium quemlibet, etiam ipsius dantis; ita ut pecunia debuerit de manu dantis, in manus aut creditoris, seu vendentis, aut in manus nuncii a dante electi immediatè transire; & ubi opus fuisset nuncios successivè multiplicare, de manu unius nuncii in manus alterius, donec tandem ad creditorem Fratrum pervenisset, aut in rem pro Fratribus deputatam impensa esset; absque eo quod Fratres eam ullimodè transportarent, ut ex adducta Decretalis serie manifestè apparet: Ita & nunc illicitum quoque erit ipsis Fratribus pecuniam recipere de manu dantis, ut eam per se deferant, nedum ad suum creditorem, sed etiam ad suum Apostolicum Syndicum; qui nunc vices gerit Summi Pontificis, apud quem dominium residet rerum Fratribus concessarum; sicut tunc nuncius dantis, ipsius dantis vices gerebat, apud quem pariter residebat,

 seu

ſeu remanebat dominium pecuniæ in uſus Fratrum elargitæ, donec in rem deputatam illa eſſet converſa. Concludendum ergò non poſſe Fratres, ſalva Regulæ, ac profeſſionis ſuæ puritate, pecuniam ſibi oblatam, aut pro mercede exhibitam, per ſe, aut per perſonas interpoſitas, ſeu propria auctoritate ab eis electas, recipere, etiam ut eam deferant ad ſuum Apoſtolicum Syndicum. Solùmque licebit eiſdem, ſicuti & tunc temporis licebat, perſonas iſtiuſmodi intermedias a dante pro deferenda pecunia deputandas, aut a Syndico ad recipiendam pecuniam ſubſtituendas, nominare, aut etiam præſentare iiſdem reſpectivè.

29 Quod inſuper confirmatur, roboraturque ex Clementina *Exivi de verb. ſign. §. 8. Porrò cùm dictus*; ubi Clemens V. modos ſervandos circa pecuniam, ad Fratrum neceſſitates ſublevandas eis ab amicis oblatam, jam aſſignatos a Nicolao III., ut ſuprà (n. 27.) nedum approbat, & confirmat, ſed inſuper pronuntiat expreſsè, quod nos item ſuprà (n. 28.) ex Nicolai doctrina argumentando deduximus; nimirùm, quod ſi ſecùs a Fratribus attentatum fuerit, transgreſſores præcepti, ac Regulæ meritò poſſint dici: quia cùm Fratribus Minoribus abſolute prohibeatur in Regula pecuniæ receptio, conſequens eſt, ut eis denegatum, & vetitum cenſeri debeat circa pecuniam, quidquid circa ipſam, eiſdem a Pontificibus non declaratur conceſſum, juxta illud, quod ibi Pontifex ad rem adducit: *Ubi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expreſsè non conceditur, intelligitur denegatum*; undè vult inferre hìc Pontifex, quod cùm a nullo Prædeceſſore ſuo Fratribus reperiatur conceſſum, ut poſſint quocunque modo, etiam ad breve tempus, pecuniam contrectare, teneantur ex vi abſoluti præcepti ipſorum Regulæ, ab ejuſmodi contrectatione prorſus abſtinere.

30 Accedit tandem in ejuſdem rei confirmationem, do-

doctrina, & declaratio Innocentii XI. in sua superius (n. 8.) laudata Bulla *Solicitudo*; in qua dicit, quod *quævis contrectatio pecuniæ, seu denariorum, quæ non sit purè naturalis, seu quæ sit quovis modo politica, Fratribus Minoribus de Observantia est omninò prohibita*. Jam autem contrectatio pecuniæ merè naturalis, nec ullo modo politica ea dici non potest, quando quis Frater pecuniam ipsam de manu dantis reciperet, ut eam ad Syndicum Apostolicum deferret; utpotè quæ pecunia foret in Fratrum utilitatem convertenda, & aliquod consequenter circa illam Frater recipiens videretur interesse habere: eaque pecuniæ delatio, ut inquit P. Augustinus Lucensis in *Schola paupertatis Tit. 2. Conf. 3. n. 11.*, *esset formale ministerium circa pecuniam expendendam in usus Fratrum; adeoque tractaretur ut est formaliter pecunia, & instrumentum ad res emendas, sub qua ratione Fratres nec recipere, neve contrectare illam possunt*. Undè etiam ex hoc capite evincitur, non esse licitum Fratribus pecuniam sibi vel liberaliter ab amicis oblatam, vel pro laborum mercede exhibitam, per se, aut per personam interpositam recipere, etiam ut eam deferant ad suum Apostolicum Syndicum. Adeoque &c.

COROLLARIA.

Colligitur primò ex modò dictis, non licere Concionatoribus nostris, postquam officium Prædicationis expleverint, eleemosynam pecuniariam pro mercede Concionum sibi a Communitatibus Locorum, vel Ecclesiarum Rectoribus respectivè exhibitam recipere, ut eam ipsi per se ad Syndicum Apostolicum deferant: sed eos teneri, ipsos dantes rogare, ut illam aliquo ex modis a Nicolao III. assignatis, ut suprà (n. 27.); vel si opportunius, facilius ve judicaverint, per syngraphas, seu schedulas cambiales; 31

les; uno verbo, aliter quàm per manus Fratrum, ad manus Apostolici Syndici pervenire faciant.

32 Colligitur secundò, non licere Fratribus nostris Sacerdotibus, cùm pergunt ad celebrandum ad alienas Ecclesias, eleemosynam pro Missi ab invitante exhibitam recipere, & ad Syndicum deferre: sed eos teneri insinuare benefactori, ut eam per aliam viam ad Syndicum deferri curet; vel ipsi Syndico notificare eleemosynam recipiendam, ut ipse per se, aut per aliquem Substitutum, curet illam recipi, & ad manus suas deferri

33 Colligitur tertiò, non licere Fratribus nostris Sacristis, sive Sacerdotes, sive Clerici, sive Laici professi hi fuerint, eleemosynas recipere a Fidelibus oblatas pro Missis in nostris Ecclesiis celebrandis, ut easdem postea eleemosynas Syndico Apostolico, aut ejus Substituto consignent: sed si incommodum, aut incongruum videatur, offerentes ipsos ad Syndicum remittere, ut ipsi per se eleemosynas ei consignent; teneri Superiorem localem Conventus, Syndicum Apostolicum rogare, ut aliquam sæcularem personam, vel Tertiarium deputet, tanquam suum Substitutum, qui nomine ipsiusmet Syndici eleemosynas ejusmodi, ubi oblatæ fuerint, recipiat.

PROPOSITIO IV.

NOn possunt Fratres Minores pecuniæ a Syndico Apostolico, aut ejus Substitutis receptæ clavem deferre, aut capsam apud se retinere.

34 *Probatio*. Constat hæc Propositio ex cap. *Exivi in Clem. de verb. sign.* § 8. *Porrò cùm dictus*: ubi Clemens V. inter vetita Fratribus Minoribus, ipsisque ex vi ipsorum Regulæ illicita, recenset etiam *capsulam pecuniæ, vel ejus clavem deferre*: hujusque prohibitionis rationem reddens, subdit ibidem: *hos actus, & con-*

& consimiles sibi Fratres illicitos esse sciant; prædicta enim facere ad solos dominos pertinet, qui dederant, & eos, quos ipsi deputaverunt ad hoc ipsum. Ubi notandum, Pontificem mentionem ibi non facere Apostolicorum Syndicorum, quia nondum, ut diximus (n. 27. & 28.) Syndicorum usus in præcepto erat, nec apud Fratres, universim saltem, receptus. Verum quod ibi ait de dantibus, eorumve deputatis, ad præscriptum Decretalis Nicolai III. (sup. n. 27.) ab ipso Clemente V. confirmatæ, ut suprà (n. 29.); hodie potest, ac debet etiam de Syndicis Apostolicis intelligi, qui sunt ad hoc muneris deputati a Summo Pontifice, qui est legitimus Dominus cujuscumque pecuniariæ eleemosynæ, Fratrum Minorum intuitu, & pro eorum necessitatibus, a Fidelibus elargitæ. Undè sicuti tunc ad dominos, qui dederant, vel ad eos, quos ipsi deputaverant, nullatenus verò ad Fratres, pertinebat pecuniæ capsulam, vel ejus clavem deferre: ita & nunc ad Syndicos Apostolicos, eorumve Substitutos, nullatenus verò ad Fratres, hoc ipsum pertinebit: & sicuti tunc illicitè, & contra Regulam agebant Fratres contrarium attentantes, ita & nunc illicitè, & contra Regulam agere Fratres dicendi erunt, ubi aliquid simile attentare voluerint.

Siquis autem in contrarium opponat concessionem factam a Gregorio XIII., habendi videlicet in Sacrariis nostris arculas, seu capsulas, in quibus eleemosynæ in dies oblatæ asserventur, ut refertur in Statutis Vallisoletanis anni 1593. tit. *de non recipiendis pecuniis*; haud difficile erit ejusmodi oppositionem diluere: dicendo nempè eam concessionem, utpotè quæ dispensationem sapit contra puritatem Regulæ nostræ, in generali dispensationum omnium abrogatione facta per Urbanum VIII. Const. incip. *Sacrosanctum Apostolatus officium* de die 1. Octobris 1625.; & renovata per Innocentium XI. Consti- 35

ßit. sæpiùs cit. *Solicitudo* (sup. num. 8.) extitisse revocatam: eique, antequam etiam per Urbanum VIII. revocaretur, exortum renuntiatum ab Ordine fuisse pro hac Cismontana Familia, in Gen. Cong. Rom. anni 1615.; quam renuntiationem iterùm renovavit alia Cong. Gen. Rom. anni 2618; & approbavit, confirmavitque hoc eodem anno S. C. consultationibus nostri Ordinis ab eodem Urbano VIII. peculiariter præposita.

36 Insuper quod prædictam oppositionem penitùs enervat, & capsularum pecuniæ in nostris Sacristiis, aliisque nostrorum Conventuum locis retentionem prorsùs nobis illicitam, & interdictam demonstrat, præter textum Clementinæ (sup. n. 34.) est recens Decretum S. C. Concilii sub die 7. Julii anni 1708. emanatum. Cùm enim in celeberrima Bulla Innocentii XII. *de celebrat. Missar.*, inter cætera præscribatur §. 28. quod *debeant Regulares, omnes & quascunque eleemosynas, tùm manualium, tùm perpetuarum, & temporalium Missarum, reponere in capsa particulari &c.* & hac occasione Fratres nostri dubitare cæpissent, utrùm præfatæ Innocentianæ Constitutionis Decretum etiam Fratres Minores comprehenderet, an verò excepti censeri debuissent, ratione sui status, a talis capsæ retentione; proposito dubio in S. C. prædicta, & adductis hinc indè momentis, eadem S. C. censuit, atque respondit; Fratres Minores in Bullæ Innocentianæ Decreto comprehensos non esse; & consequenter, juxta suas peculiares leges, ipsos a capsularum pecuniæ retentione abstinere debere.

PROPOSITIO V.

NOn possunt Fratres Minores pecuniam ex manu Syndici in proprias manus recipere; eamque in emptione cujuscunque rei, vel debi-

bitorum solutionem per seipsos expendere; sed debent rogare Syndicum, ut id per seipsum, aut per alios a se delectos (quos non repugnat, ut Fratres ei indicent) expediat, aut adimpleat: nec possunt Fratres etiam hoc ipsum Syndico præcipiendo imponere; sed tantum ut hoc faciat, ipsum rogare: quemadmodum nec accepti, & expensi rationem possunt ab eo rigorosè exigere, aut pecuniam ab eo receptam, per seipsos, vel per personam interpositam repetere.

Probatio primæ partis. Probata manet prima Propositionis pars ex cap. *Exiit de verb. sign. in 6. §. 11. Caeterum, & seqq.*, cujus tenorem suprà exscripsimus (n. 27.). Cùm enim ibi dicat Nicolaus III. ad hoc ut Fratres Minores Regulæ, & professionis suæ puritatem non violent, opus esse, ut pecunia ipsis Fratribus ab aliquo Amico oblata, ad eorum solvenda debita, seu ad res ipsis Fratribus necessarias emendas; vel ab ipso dante per se expendatur, vel per alias personas extra Ordinem constitutas, & ab ipsomet dante, vel de ejus assensu destinatas, tradetur, donec in rem deputatam, & Fratribus necessariam conversa fuerit; nec unquam dicat, Fratribus concessum, ut ipsi per se pecuniam expendant; consequens est, ut eis ex vi Regulæ id esse vetitum concludamus; quemadmodum concludit, & expressè declarat Clemens V. (sup. n. 29.) 37

Insuper cùm pronuntiet Innocentius XI. (sup. n. 30.) quamlibet contrectationem pecuniæ, quæ non sit merè naturalis, seu quæ sit quovis modo politica, Fratribus Minoribus esse omninò prohibitam; cùmque nemo dubitet, quin pecuniam expendere sit pecuniam ipsam politicè contrectare; consequens fit, non posse Fratres, absque læsione suæ Regulæ, & professionis, pecuniam de manu Syndici recipere, ac per seipsos expendere.

Probatio secundæ partis. Propositionis pars altera, 38

ra, qua nempè dicitur, Fratres licere, ubi hoc necesse habuerint, rogare Apostolicum Syndicum, ut ipse per se, aut per suos substitutos, expensas Fratribus ipsis necessarias faciat, nullam videtur posse dubitationem ingerere: cùm inter munera Apostolici Syndici hoc sit præcipuum, ut nempè ubi a Fratribus requisitus fuerit, pecuniam, ipsorum Fratrum intuitu, & nomine Romanæ Ecclesiæ receptam, ejusdem Romanæ Ecclesiæ auctoritate, in Fratrum eorumdem utilitatem eroget, seu expendat: uti expressè legitur in Bulla Pauli IV. (*sup. n. 21.*)

Et similiter clarum est, non repugnare, quod Fratres Apostolico Syndico, ubi ipse per se, necessarias expensas facere nequiverit, personas ad id substituendas nominent, seu significent: sicuti enim ex doctrina Nicolai III. (*sup. n. 2.*) hoc olim licebat Fratribus, respectu dantium eleemosynas, ita & nunc licebit eisdem, respectu Syndicorum Apostolicorum, eleemosynas, nomine Papæ, seu Romanæ Ecclesiæ, asservantium.

39 *Probatio tertia, quarta, & quinta partis.* Reliquæ tres Propositionis partes; quod nempè non possint Fratres Syndico Apostolico expensas faciendas præcipiendo imponere; nec accepti & expensi rationem rigorosè exigere; nec pecuniam ab eo jam receptam repetere: hæc, inquam, tres postremæ Propositionis partes constant ex Clementina *Exivi de verb. signi. §. 8. Porrò cùm dictus*; ubi a Clemente V. non tantum *capsulam pecuniæ, vel ejus clavem deferre* (ut sup. n.34.); sed etiam *præcipere in quid, & qualiter pecunia expendatur, computumque exigere de expensa, eam quoque repetere, sive deponere, aut deponi facere*, inter actus Fratribus nostris illicitos, connumerantur: quod & docuerat quoque Nicolaus III. cap *Exiit de verb. sign. in 6. §. 12. Cæterum.*

Dixi autem notanter, Fratres non posse a Syndico accepti & expensi computum, seu rationem exige-

gere *vigorosè*, hoc est quasi juridicè, ac dominorum more. Nil enim vetat, quominus Superiores Conventuum, ad satisfaciendum Fratribus suæ Communitatis, & ad statum proprii Conventus dignoscendum, Syndicum rogent, ut tàm eleemosynarum à se receptarum, quàm expensarum pro Conventu ab eo factarum, computum exhibere dignetur. Quinimò in nostris Capitulis, & Congregationibus Generalibus sæpius injunctum invenitur Guardianis, taxata etiam in contravenientes pœna, ut singulis mensibus, cùm recepti, tum expensi rationem exactam, coram Fratrum communitate reddi curent: ut habetur in Statutis Vallisoletanis anni 1593.; & denuò inculcatum apparet in posterioribus Generalibus Comitiis, ut in Capitulo Generali Romano 1612., in Cong. Gen. Rom. 1615., & in Cap. Gen. Tolet. 1682.

Item notanter dixi, Fratres non posse pecuniam à Syndico receptam repetere, *per se, aut per personam interpositam*: ut scilicèt intelligatur, quod etsi Fratres non possunt Syndicum Apostolicum in sua administratione minùs fidelem repertum convenire, ipsumque ad rationem reddendam, & pecuniam acceptam deponendam, adigere; possunt nihilominùs Ministri, & Custodes Fratrum, ex Bulla Pauli IV. (sup. n. 23.) ipsum Syndicum revocare; & alium in revocati locum subrogare, seu nominare, qui in omnia prorsùs prioris jura succedat; atque adeò possit, ex eadem Bulla (n. 21.) priorem Syndicum, nomine, & auctoritate S. Sedis, etiam, si opus fuerit, apud Tribunalia convenire, & ad rationem suæ administrationis reddendam, compellere, & coarctare.



PRO-

PROPOSITIO VI.

NEque pecuniam personarum extranearum recipere, deferre, depositam apud se tenere, aut alicui commendare, licitum est Fratribus Minoribus, quoties in his actionibus aliquid politici intervenire debeat: Et solùm id eis licebit, quando pecuniæ contrectatio in his casibus nullo modo politica, sed merè naturalis futura sit.

40 *Probatio*. Habetur hæc Propositio expressa penè in terminis in Bulla Innocentii XI. *Solicitudo*; ubi postquam Pontifex dixerat, *aliarum rerum necessariarum posse Fratres Minores de corpore Observantia, habere usum, licèt non dominium; denariorum autem nec dominium, nec usum*, subdit. *Et proindè quævis contrectatio pecuniæ, quæ non sit purè naturalis, seu quæ sit quovis modo politica, cujuscunque domini sint denarii, seu pecunia, Fratribus Minoribus Observantibus, seu de corpore Observantia, est omninò prohibita*. Quo in textu, si verba illa attendantur, *cujuscunque domini sint denarii, seu pecunia*, clarè apparebit, nil eo expressius desiderari posse ad nostram præsentem Propositionem firmandam.

41 Quod insuper confirmari potest ex Clementina *Exivi de verb. sign.* §. 10. *Verùm etiam*; ubi Summus Pontifex Clemens V., ex quo Fratres Minores, juxta declarationem Nicolai III. Prædecessoris sui, *non solùm a receptione, proprietate, dominio, sivè usu ipsius pecuniæ, verùm etiam in contrectatione qualibet ipsius, sint*, & esse debeant *penitùs alieni* (ut sup. n. 27.) infert, & inferendo declarat, & decernit hoc pacto: *Prædictis Fratribus non licet, nec competit, quin potiùs, considerata sui puritate status, debent sibi scire interdictum, quod* (ut suprà dixerat §. 9. *Proindè*) *executionem ultimarum suscipiant voluntatum, & gerant, seque intromittant de usurarum, vel malè*

abla-

ablatarum dispositionibus, seu restitutionibus faciendis; cùm hæc sapiùs absque . . . . . contrectatione, vel administratione pecuniæ, nequeant expediri. Subditque statim, Fratribus concessum tantùm esse, *nec ipsorum statui obsistere, in hujusmodi exequendis dare consilium*. Ubi cum sermo sit de pecunia personarum Fratribus extranearum. & hujus etiam contrectationem (politicam intellige) Fratribus prohibitam, Pontifex pronuntiet, sequitur, Clementem V. Innocentio XI. prælusisse, dicens ille de peculiari casu, quod hic postea generatim protulit, ut suprà (num. præc.)

COROLLARIA.

HInc inferes primò, Fratribus nostris non licere a personis etiam extraneis quibuscumque, pecuniam apertam & sibi numeratam, cuicunque earumdem personarum usui applicandam, seu quòcunque deferendam, recipere; maximè cum onere in se suscepto de ea rationem reddendi: pecuniam namque apertam & sibi numeratam recipere, seque ad reddendam de ea rationem obligare, ut nemo ignorat, actio politica est. Et solùm licebit interdum, ad gratificandum personæ sæculari, præsertim erga Fratres benevolæ, pecuniam obseratam, & sigillo munitam, aliquò deferendam acceptare, fidelitatem spondendo, & reipsa servando; sed tamen absque onere rigoroso de ea rationem reddendi; quæ ut apparet, nonnisi merè naturalis pecuniæ contrectatio foret. 42

Inferes secundò, non licere Fratribus munus sibi assumere pecuniam cujuscunque personæ, etiam extraneæ, depositam apud se retinendi, ipsam a deponente sibi numerari faciendo, & onere in se suscepto, ut supra, de ea rationem reddendi. Solùmque licebit in aliquo urgenti casu, absque rigoroso 43

de-

depositarii onere, pecuniam obseratam, & sigillo clausam, apud se ab extranea persona deponi permittere. In primo namque casu, non item in secundo, politica pecuniæ contrectatio intervenit; ut planum est.

44 Inferes tertiò, non licere Fratribus pecuniam, aliquò deferendam, ab aliqua persona fortassè receptam, ut suprà (n. 41.) alteri personæ prioris correspondali apertam consignare, eam ipsi numerando, deque pecuniæ sic numeratæ consignatione cautionem sibi dari faciendo. Sed in casu debebit pecunia consignari clausa, quemadmodum recepta fuit; petendo tantùm a persona, cui fuit illa consignata, attestationem de fideli consignatione, ad ostensionem honestatis propriæ, & pro quiete prioris personæ pecuniam transmittentis. Quorum ratio eadem est, quæ supra (n. 42. & 43.

45 Inferes quartò, multò minùs licerè Fratribus pecuniam ab extraneis personis receptam, pro ipsis in emptionem cujuscumque rei, aliudve commodum expendere, seu consumere. Nihil enim emptione, ac venditione magis in humanis politicum.

46 Inferes quintò, præsertim ex doctrina Clementis V. (sup. n. 41.) non licere Fratribus onus in se suscipere restitutionum pro quacunque persona faciendarum, si hæ præsertim in pecunia consistant; nisi fortè restitutio secretè facienda sit; & cum cautelis fiat suprà assignatis (n. 44.)

PROPOSITIO VII.

Licitum est Fratribus Minoribus, nec ulla lege eis vetitum tàm per se, quam per alios quoscunque, pro sublevandis ipsorummet Fratrum veris, & realibus necessitatibus, pecuniam quæstuare *indirectè*; exponendo nimirùm amicis, & benevolis ne-

necessitates prædictas: dummodò tamen ipsam pecuniam nullatenus per se, aut per personas interpositas, cum sibi ab amicis, & benefactoribus fuerit exhibita, recipiant; sed rogare debent in casu benefactores, ut vel ipsi per se, suosve nuncios, in Fratrum declaratis, & expressis necessitatibus eam impendant; vel si maluerint, ad manus Apostolici Syndici eam pervenire faciant.

Probatio primæ partis. Pecuniam quæstuare *indirecte* 47
hauddubiè aliquando possunt Fratres Minores, si ipsis liceat aliquibus in casibus, seu circumstantiis, ad amicos, & benevolos humilem recursum habere, atque eos rogare, ut sibi in suis necessitatibus opitulentur; & in quibus necessitatibus amici prædicti Fratres juvare nequeunt, nisi denarios, vel pecuniam subministrando: hoc enim per *indirectam* pecuniæ quæstuationem nos intelligere prænotavimus supra (n. 4.). Atqui hoc facere Fratribus nulla lege vetatur; quinimò expresè conceditur, primò in ipsa Regula, & quidem ipsius Regulæ cap. 4., in quo pecuniæ receptio iis interdicitur. Dicitur enim ibi, quod *pro necessitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis, per amicos spirituales, Ministri, & Custodes solicitam curam gerant &c.*; cum tamen de facili contingere possit, imò ordinariè contingat, ut ipsi amici spirituales, infirmorum, aut vestiendorum Fratrum necessitatibus occurrere nequeant, nisi ad id pecuniam subministrent. Ergò &c.

Deindè idipsum Fratribus concessum esse, declaravit Nicolaus III. cap. *Exiit de verb. sign. in 6.* §. 22. *Caterùm*; ubi Pontifex postquam dixerat: *Fratres a mutuis contrahendis abstineant, cùm eis mutuum contrahere, ipsorum statu considerato, non liceat*; statim subdit: *Possint tamen ipsi, pro satisfactione facienda, pro eorum necessitatibus, quæ pro tempore occurrerint (cessantibus eleemosynis, de quibus satisfieri commodè tunc non posset) citra cujuslibet obligationis vinculum*

di-

dicere, quod per eleemosynas, & alios amicos Fratrum, ad solutionem hujusmodi faciendam, intendant fideliter laborare. Et eod. cap. §. 13. *Et quia oportet*, ait idem Pontifex, quod *etiam in ingruentibus, seu imminentibus necessitatibus*, possint Fratres tutè, ac salva conscientia, procedere, sicut in articulo solutionis pro necessitatibus præteritis faciendæ, proximè antè a se declaratum fuerat: Et nominatim, ut ipse innuit ibidem, possint Fratres hoc facere, ubi ageretur *de Libris emendis*, aut *conscribendis, de Ecclesiis*, aut *de Ædificiis construendis &c.* Quas Nicolai III. declarationes postea etiam confirmavit Clemens V. Cap. *Exivi de verb. sign. in Clem. §. 8 Porrò cùm dictus.* In quibus profectò casibus, tum solutionis debitorum faciendæ, tum rei necessariæ comparandæ, patet, non posse utplurimùm benefactores Fratribus opem ferre, nisi per pecuniæ, seu denariorum subministrationem. Adeoque planum quoque est, Fratribus nulla lege vetari, ne ipsi pecuniam *indirectè* aliquando quæritent: ut habet prima Propositionis pars.

48 Diximus autem posse Fratres Minores pecuniam quæstuare *indirectè*, non tantùm per se, sed etiam *per alios quoscunque*; quia si Fratres id possunt per se, ut mox ostendimus; Ministri quidem, & Custodes ex textu Regulæ (sup. num. præc.) Fratres verò subditi ex commissione Ministrorum, & Custodum, ut declaravit Nicolaus III. cit. cap. *Exiit* §. 20. *Licèt autem*: manifestum videtur, id eos posse etiam facere per alias personas, etiam extra Ordinem constitutas, seu ab ipsis interpositas: sicuti namque quod Fratribus non licet facere per seipsos, nec per personas interpositas eis facere licet, ut loquendo de non recipienda pecunia, Regula præscribit cit. cap. 4. ita a contrario, quod licet eis per se facere, etiam per alios quoscunque, seu per personas interpositas facere licebit. Quod etiam confirmatur ex *reg. 68. jur. in 6* ibi: *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.*

Ap-

 49

Apposuimus verò limitationem illam, *pro sublevandis veris & realibus necessitatibus*; non enim pro quacunque causa etiam minùs necessaria, licet Fratribus ad amicos recurrere, aut pecuniam, vel *indirectè* quæstuare; ut declaravit expressè Clemens V. in cap. *Exivi de verb. sign.* §. 8. *Porrò cum dictus*; ubi sic habet: *Cùm etiam recursus ad amicos spiritales expressè tantùm in duobus casibus, secundùm Regulam concedatur, videlicet pro necessitatibus infirmorum, & Fratribus induendis: idque piè, & rationabiliter, considerata necessitate vitæ, ad alias necessitates Fratrum, pro tempore occurrentes, cessantibus eleemosynis; seu etiam ingruentes, sæpè dictus Prædecessor* (Nicolaus III.) *duxerit extendendum: Attendant Fratres, quod pro nullis causis aliis, quàm prædictis, vel similibus, nova, vel alibi, recurrere licet eis ad amicos hujusmodi . . . . . , etiamsi concessi per eandem Declarationem* (Nicolai III. sup. n. 27.) *modò circa pecuniam integrè servarentur*.

Nota. Quoniam tetigimus suprà (n. 47.) quod juxta Declarationem Nicolai III. *Fratres abstinere oportet a mutuis contrahendis, cùm eis mutuum contrahere, ipsorum statu considerato, non liceat*; hic vel obiter est observandum, id eis neque licere per Syndicum Apostolicum. Cùm enim iste in Pontificiis Constitutionibus nullam ad hoc commissionem expressam habeat, ut clarè apparebit, si perpendantur singula verba Constitutionis Pauli IV. (sup. n. 20., 21., & 22.); sequitur, Fratres non posse ad hoc ipsum, Syndici opera uti. Nam cùm ipsis generaliter sit prohibitum *mutuum per se contrahere*, si ad id præstandum saltem per Syndicum, expressam concessionem non habeant, hoc etiam censeri debet eis interdictum; juxta regulam assignatam a Clemente V. cap. *Exivi* §. *Porrò cùm dictus*; quod nimirum *Ubi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expressè non conceditur, intelligitur denegatum*. Ubi nihilominus

 no-

notatum ulteriùs velim, quod cùm Pontifex pronunciat interdictum Fratribus mutua contrahere; nosque subjungimus, id eis interdictum esse, etiam mediante Apostolico Syndico; hoc venit intelligendum de mutuis duntaxat politicis, & juridicis, in quibus nempè & transfertur dominium rei, & vera ac rigorosa obligatio contrahitur restituendi æquivalens; non autem de mutuis etiam merè naturalibus, & latè sumptis, ex quibus ea rigorosa obligatio non enascitur: imò secundi hujus generis mutua contrahere, data necessitate, Fratribus non esse illicitum, per verba, quæ præmissis immediatè subnectit, & quæ item retulimus (eod. n. 47.) idem Nicolaus expressè declarat.

50 *Probatio secundæ partis*. Pars altera Propositionis satis probata manet ex dictis suprà (n. 8. 17. 27. & 28.). Siquidem sub num. 8. ostensum est, Fratres nullo modo posse per se, aut per personam interpositam, pecuniam recipere. Sub num. 27. observatum fuit, propriè pertinere ad amicum Fratrum dantem pro ipsis eleemosynam pecuniariam, hanc per seipsum, aut per personam a se delectam, si in promptu habeat, in usus Fratrum expendere. Et tandem sub num. 17. fuit animadversum, & sub num. 28. probatum, quod ubi dans eleemosynam, per se, aut per personam a se delectam nequiverit, aut noluerit id præstare, Fratres non possint hodie propria auctoritate curare, ut ad aliam personam, nisi ad Syndicum Apostolicum, aut ejus Substitutum, eleemosyna pecuniaria perveniat.

COROLLARIA.

51 Constat igitur primò ex suprà adductis (n. 47.) ex textu Regulæ, Fratribus licere, tàm per se, quàm

quàm per alios, ad amicos recurrere, seu pecuniam *indirectè* quæstuare, ad subveniendum necessitatibus Fratrum infirmorum.

Constat secundò ex iisdem, posse Fratres eodem modo recurrere, pro rebus comparandis Fratrum ipsorum vestitum concernentibus.

Constat tertiò a paritate rationis, posse Fratres taliter recurrere, pro rebus ad eorum victum pertinentibus; nec enim minus victus, quam vestitus, humanæ vitæ necessarius est.

Constat quartò ex adductis (eod. n. 47.) ex Nicolao III., posse Fratres eodem modo recurrere, pro solutione facienda debitorum ab ipsis jam contractorum.

Constat quintò ex iisdem, posse Fratres eodem modo recurrere, pro emendis Libris, ad sacram, ecclesiasticam, ac religiosam eruditionem conducentibus.

Constat sextò pariter ex iisdem, posse Fratres similiter recurrere pro Libris a se conscriptis, sacram, vel ecclesiasticam, aut religiosam eruditionem concernentibus, in lucem publicam edendis, seu prelo consignandis. Quod etiam de imprimendis Thesibus, juxta laudabilem Religionis morem, publicè propugnandis, meritò intelligendum videtur.

Constat septimò ex iisdem, posse Fratres taliter recurrere, pro ædificandis de novo ubi opus fuerit, Ecclesiis, Conventibus, & Clausuris, aliisque similibus ædificiis construendis; multòque magis pro refarciendis, sivè restaurandis Ecclesiis, Conventibus, & Clausuris jam ab antiquo constructis, ubi hæc ædificia collapsa fuerint, aut ruinam minentur.

Constat octavò ex adductis (n. 49.) ex doctrina Clementis V. (ubi sub formula generali dicit hic Pontifex, quod ultra necessitates in Regula, vel a Nicolao expressas, pro quibus possunt Fratres ad amicos recurrere, veniunt etiam aliæ necessitates si-

illes) constat, inquam, licere Fratribus recurrere, pro emendis de novo, aut resarciendis, seu restaurandis sacris Vasibus, & ecclesiasticis Paramentis, aliisque Ecclesiarum Supellectilibus, quæ ad divina Mysteria decenter celebranda, Laudes divinas decorè persolvendas, & cultum, atque nitorem domus Dei conservandum, necessaria sunt.

Constat nonne ex iisdem, posse Fratres, ut uno verbo dicam, recurrere pro aliis etiam veris necessitatibus, quæ cum hactenus enumeratis meritò æquiparari valeant; dummodò, sicut hæ, ita illæ, præsentes, vel ingruentes, seu imminentes sint.

52 Verùm è contrario, ex apposita (cod. n. 40.) ex ipso Clemente V. limitatione, infertur primò, non posse Fratres ad amicos recurrere, seu pecuniam, vel mutuò, quæstuare, pro Cellarum, aliarumque Officinarum Supellectilibus comparandis, quæ luxum sæcularem magis, quàm religiosum commodum redoleant.

Infertur secundò, non posse eosdem Fratres taliter recurrere, pro lautis comessationibus, & compotationibus habendis, quæ crapulam potiùs, quam necessariam vitæ sustentationem sapiant.

Infertur tertiò, non posse eos sic recurrere, pro emendis, aut prelo consignandis Libris, ad curiositatem magis, merèque profanam eruditionem, quam ad solida, & religiosa studia, relationem habentibus.

Infertur quartò, neque posse recurrere, pro imprimendis Thesibus cum Iconibus, præsertim valdè sumptuosis: sic enim Theses imprimi facere, nonnisi vanam ostentationem præsefert; & expresè prohibetur in Statutis generalibus pro Ordine nostro confectis in Cap. Gen. Rom. 1612.

Infertur quintò, non posse Fratres ad amicos recurrere, pro comicis, & ludicris spectaculis repræsentandis: cum hæ repræsentationes nedùm ullam

ve-

veram utilitatem habeant; sed potiùs religiosi spiritus dissipationem utplurimum causare soleant.

Infertur sextò, non posse Fratres eodem modo recurrere, pro ædificiis, ac fabricis construendis, quæ plus curiositatis, aut magnificentiæ, quam utilitatis, ac religiosæ, præsertim Minoriticæ, humilitatis habere videantur.

Infertur septimò (ut alios similes casus prætereamus) neque posse Fratres ad amicos recursum habere, pro comparandis Vasis, aut Paramentis ecclesiasticis, quæ numero, vel magnitudine, aut pretiositate, quandam superfluitatem, aut curiositatem videantur importare. Quod etiam de grandioribus Campanis pro necessitate Ecclesiarum usu construendis, ob identitatem rationis, dicendum est.

Nota. Et quidem duo postrema mox recensita Corollaria, nedum ex generali Clementis V. doctrina (sup. n. 49.) sicut cætera, fluunt; sed insuper circa in illis contenta, peculiaris extat, & expressa ejusdem Pontificis declaratio eod. cap. *Exivi* §. 13. *Haec est etiam*. Declarat, inquam, in primis, convenire Fratribus, *quod nullo modo deinceps fieri faciant, vel fieri substineant Ecclesiae, vel alia quæcunque ædificia, quæ, considerato Fratrum inhabitantium numero, excessiva in multitudine, & magnitudine debeant reputari*: atque adeò vult idem Pontifex, ut *ubique in Ordine S. Francisci, Fratres deinceps temperatis, & humilibus ædificiis sint contenti; ne tantæ paupertati promissa, quod patet oculis contrarium foris clamet*. 53

Et quod spectat Vasa, & Paramenta ecclesiastica, subdit quod Fratribus Minoribus *debent sufficere Vasa, & Paramenta ecclesiastica decentia, atque in numero, & magnitudine sufficientia competenter: superfluitas autem, aut nimia pretiositas, vel quæcunque curiositas, in his, seu aliis quibuscunque, non potest* (ut ipse Pontifex subdit) *ipsorum professioni, vel statui convenire: cùm eam hæ sapiant thesaurizatio*

nem, seu copiam, paupertati tantò, quoad humanum judicium, derogant manifestè.

Itaque ad rem nostram; si Fratribus Minoribus ædificia magnifica de novo construere, ac Vasa, & Paramenta ecclesiastica numero, magnitudine, pretiositateque excessiva habere non convenit: multò minùs licebit eis, pro ejusmodi construendis, seu comparandis, ad amicos spirituales habere recursum; quemadmodum duo prædicta Corollaria sonant.

54 Non me latet, quod Leo X. in sua Const. incip. *Merentur vestræ devotionis*, citata a Wadingo tom. 6. Annal. pag. 404, *attendens, quod domus, & alia res, tam pro cultu divino, quàm pro usu nostro, nobis concessa, solùm ad usum, non possessionem cedunt; nec eas sine speciali Sedis Apostolicæ mandato, alienare possumus; ac ad eamdem Sedem illa omnes pertinent; declaravit, amplas domos, & pretiosa ornamenta non derogare puritati, & perfectioni regularis observantiæ Fratrum.* Verùm ex hac Leonis X. declaratione id unum inferre licet; Fratres nimirum non esse Regulæ suæ transgressores, si domos amplas jam constructas inhabitent, & ornamenta, etiam valdè pretiosa, jam in eorum Ecclesiis, & Sacristiis existentia adhibeant: Aut etiam si ædificia in eorum usum, vel ornamenta ecclesiastica valdè pretiosa pro eorum Ecclesiis, de novo exstrui, vel deputari contingant; ubi hæc a Principibus, qui juxta suam conditionem operantur, ex propria devotione, & absque Fratrum impulsu fierent; ut inquit P. August. Lucen. in *Schola paupertatis* tit. 1. conf. 8. num. 10. At non infertur tamen, eos etiam Fratres a Regulæ transgressione excusari posse, qui ampla, & magnifica ædificia exstrui, & ornamenta ecclesiastica excessivè pretiosa comparari curant.

PRO-

PROPOSITIO VIII.

NOn dedecet Fratres, sed eis per omnia licet, honestum laboritium, nedùm impositum, aut commissum acceptare; sed insuper amicos etiam, ac benevoles rogare, ut sibi ejusmodi aliquod laboritium imponant, sivè committant; idque eo etiam animo, ut indè mercedem, seu eleemosynam aliquam, etiam pecuniariam, consequantur; per Syndicum Apostolicum, si pecuniaria fuerit, recipiendam: dummodò tamen de sibi tribuenda mercede rigorosè non paciscantur.

Probatio primæ partis. Colligitur manifestè prima Propositionis pars ex cap. 5. Regulæ; ubi Seraphicus Patriarca hortatur Fratres illos, *quibus gratiam dedit Dominus laborandi, ut laborent fideliter, & devotè; ita quod excluso otio animæ inimicò, sanctæ orationis, & devotionis spiritum non extinguant*: Necnon ex Testamento ejusdem Beatissimi Patris, ubi protestatur, *se velle firmiter*, ut *omnes Fratres sui laborent de laboritio, quod pertinet ad honestatem; & qui nesciunt, discant &c.*. Quibus ex verbis, nedùm patet perspicuè, posse Fratres honestum laboritium sibi impositum aut commissum acceptare; frustrà enim, ut nemo non videt, hortaretur S. Pater Fratres suos ad laborem, si laborem sibi impositum ipsi acceptare non possent: Sed & insuper patet, posse eos rogare amicos, & benevolos, ut aliquod sibi ejusmodi laboritium committant; si enim Fratres omnes, ut Seraphico Patri morem gerant, honestum aliquod laboritium exercere debent; & fieri quandoque possit, ut nullum ejusmodi laboritium a quoquam sibi injunctum habeant; planum est, debere eos, aut certè eis licere in casu, amicum aliquem rogare, ut talem sibi laboritium injungat. Quæ erat prima Propositionis pars. 59

56 *Quares*. Utrùm, & quale laboritium Fratribus Minoribus sit in præcepto? Cui quæstioni ut satisfiat; reponimus ad primam partem, nullum ex vi Regulæ quoad hoc extare rigorosum præceptum. Verba namque illa, quæ ex cap. 5. ipsius Regulæ (n. præc.) citavimus, a nullo vel Romano Pontifice, vel ejusdem Regulæ Expositore inter præcepta connumerata fuere. Verba verò, quæ retulimus ex Testamento, etsì quodammodò præceptoriè a Seraphico Patre posita videntur; constat tamen ex Constitutione Gregorii IX. *Quò elongati a sæculo* data sub die 28. Septembris 1230., & ex Decretali Nicolai III. contenta in cap. *Exiit de verb. sign. in 6. §. 27. Cæterùm*, ea, sicut & cætera in eodem Testamento expressa, vim rigorosam Fratres obligandi non habere. Veruntamen, cùm dicat S. Pater in cit. Regulæ capite, quod Fratres *laborent ad excludendum otium animæ inimicum*; quod utique curare debet quilibet Christianus, atque adeò a fortiori quilibet Religiosus; hinc sequitur, quod si Fratres ad laborem non adstringuntur ex rigoroso præcepto ipsorum Regulæ, attamen obligentur saltem ex alio capite, ex illo nempè, quo tenentur ut Christiani vitare peccata, & salutem animæ suæ procurare; & insuper quo tenentur ut Religiosi ad perfectionem tendere.

57 Qualis autem sit labor, cui debent Fratres incumbere; an videlicet manualis, an verò alterius generis, explicat, & declarat Nicolaus III. in sæpè laudata Decretali *Exiit de verb. sign. in 6. §. 21. Continetur*; ubi ait, quod *consideratis verbis* Regulæ, *& forma, seu modo loquendi, sub quibus Fratres ad hujusmodi exercitium inducuntur, non videtur ea fuisse instituentis intentio, quod vacantes studio, vel divinis Officiis, & ministeriis exequendis, manuali labori, seu operationi subjiceret, vel ad hoc illos arctaret, cùm exemplo Christi, & multorum Sanctorum Patrum, labor iste spiritualis tantò illi præponderet, quan-*

tò

tò quæ sunt animæ corporalibus præferuntur . Ad alios verò , qui se in prædictis spiritualibus operibus non exercent , nisi tales aliorum Fratrum licitis servitiis occupentur (ne otiosè vivant) verba prædicta declarat Pontifex *extendi ; nisi & tales tàm excellentis , & notabilis contemplationis , & orationis ex slerent , quod meritò propter hoc non essent à tanto bono , pro hujusmodi exercitio subtrahendi . Fratres enim quicunque studio , vel divinis ministeriis non vacantes , sed aliorum Fratrum studio , vel aliis divinis Officiis , & ministeriis vacantium servitiis inhærentes tantùm ; pro servitiis iisdem , cum ipsis , quibus serviunt , sustentari merentur : quod astruitur ex illa æqua lege , quâ strenuus pugnator ille David justè decrevit , videlicet quod descendentium ad prælium , & remanentium ad sarcinas portio æquaretur .*

Constat igitur , labores , quibus debent Fratres Minores incumbere , esse in primis orationem , & devotionis cultum ; deindè officia , & ministeria divina ; ut præsertim Chori servitium , Sacrorum celebrationem , Confessarii , & Concionatoris munus , & similia : præterea Litterarum præsertim sacrarum studia : ad hæc servitium iis præstitum , qui ministeriis divinis , & Litterarum studiis incumbunt : tandem officia , & exercitia cuncta , quæ religiosam honestatem , & minoriticam professionem non dedecent .

Probatio secundæ partis Quod possint Fratres Minores laborium honestum sibi impositum acceptare , & ubi spontè impositum non fuerit , quærere , & rogare , ut imponatur ; *etiam cum animo , seu fiducia , mercedem aliquam , seu eleemosynam indè consequendi ,* ad vitam suam sustentandam , suasve necessitates levandas , videtur manifestum . Si enim ad vitam sustentandam , propriisque indigentiis subveniendum , Fratribus ipsis licet acceptare ab amicis , & benevolis eleemosynas gratis & liberaliter oblatas , ut nemo dubitat ; & ubi liberales , & spontaneæ cessave- 53

rint ,

rint, possunt etiam ipsi, necessitate urgente, ad amicos & benevolos recursum habere; utique non alio animo, nisi ut subsidium, quod implorant, consequantur (ut sup. n. 47.): quidni licebit eisdem, eodem quoque animo, eademque fiducia, laboritium impositum acceptare, & ubi impositum non fuerit, ut imponatur curare? Ego certè non video, quænam disparitas afferri possit. Non minùs enim per laboritium, quàm per quæstuationem, & oblationes liberales, convenit, ut obveniat Fratribus, undè ipsi vitam suam sustentent: dicente Summo Pontifice Nicolao III. cap. *Exiit de verb. sign. in 6. §. 8. Nec quidquam*, quod Fratres, *vel de iis quæ offeruntur liberaliter; vel de iis quæ mendicantur humiliter; vel de iis quæ conquiruntur per laboritium*, sustentari debent; *qui triplex vivendi modus in Regula providetur expressè*. Quinimò, si attendantur quæ habet S. P. Franciscus in suo Testamento, priùs est per laboritium mercedem conquirere, quàm ad mendicationem, seù quæstuationem recurrere; dicit enim ibi, quod *quando non daretur nobis pretium laboris*, tunc *recurramus ad mensam Domini, petendo eleemosynas ostiatim*: ubi apparet manifestè, mentem Sanctissimi Institutoris fuisse, ut primùm Fratres satagerent, sibi per laboritium mercedem aliquam, undè vivant, comparare, & tantùm hac mercede deficiente, possent ad mendicationem, seu quæstuationem recurrere: & per consequens, si hoc, ut dictum est, Fratribus licet, etiam, eòque magis licebit illud.

Nec quemquam movere debet, quod dixi in Propositione, *ut indè mercedem aliquam, seu eleemosynam, ETIAM PECUNIARIAM, consequantur &c.*. Sicut enim aliquibus in circumstantiis, licet Fratribus, etiam pecuniam quæstuare, non *directè* quidem (quod illicitum Fratribus infrà ostensuri sumus) sed tamen *indirectè* (ut sup. n. 47.); ita & licebit eisdem, etiam pecuniariam mercedem per labori-

tium

tium vel *indirectè* conquirere; etiamsi non *directè*, ut mox dicturi sumus, probando tertiam Propositionis partem.

Quod siquis opponat verba S. P. Francisci, ne- 59
dum dicentis in Regula cap. 5., Fratres ob id debere incumbere labori, ut nempè *excludant otium animæ inimicum*; sed & expressius in Testamento pronuntiantis, Fratres laborare debere, *non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, sed propter bonum exemplum, & ad repellendam otiositatem*; atque hinc inferri contendat, Fratribus non licere laboritium suscipere, aut procurare, *animo mercedem aliquam consequendi*, contrà ac demonstrare conati sumus. Respondebimus, mentem Seraphici Patris ibi fuisse, assignare præcipuum, & primarium finem, propter quem Fratres laborare debeant, nimirum otii fugam, & bonum exemplum; atque eos ulterius avocare a noxia illa cupiditate rerum temporalium, quæ consistit in quadam anxietate accumulandi divitias, & quam radicem omnium malorum appellat Apostolus 1. ad Tim. 6. v. 10.. At nullatenùs ipsum voluisse finem absolutè excludere minùs principalem, ac veluti secundarium, consequendi nimirum aliquam mercedem, ad propriam sustentandam vitam, ad occurrendum propriis necessitatibus, aut suis etiam religiosis, moderatisque commodis consulendum: quem finem dumtaxàt, non veluti primarium, sed ut secundarium, nos licitum esse, suadere voluimus.

Probatio tertiæ partis. Tertia denique Propositio- 60
nis pars, qua dicitur, non posse Fratres Minores, in acceptando, vel sibi procurando aliquo laboritio honesto, *de mercede* pro illo *sibi tribuenda rigorosè pacisci*, facilè probatur. Equidem de mercede rigorosè pacisci, est ad rem, seu mercedem ipsam jus acquirere; quod jus parit, ut ajunt, actionem [illegible] realem, hoc est actionem in judicio, contra perso[illegible]

quæ rem illam debet; estque quodammodo jus in re, seu dominium rei, vel proprietatis inchoatum: atque adeò qui dominii perfecti, seu juris in re capax non est, neque juris ad rem, seu dominii inchoati capax esse poterit. Atqui Fratres Minores, tàm in particulari, quàm in communi, nullatenus sunt capaces dominii proprietatis, sivè juris in re: ut exponentes præceptum illud capitis 6. Minoriticæ Regulæ, *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem*, docuerunt Summi Pontifices Gregorius IX. Const. *Ordinem vestrum* 14. Novembris 1245., Gregorius X. Const. *Voluntariæ paupertatis* 5. Novemb. 1273., Nicolaus III. cap. *Exiit de verb. sign. in 6.* § 8. *Nec quidquam*, & Clemens V. cap. *Exivi in Clem. de verb. sign.* §. 9 *Proindè*. Ergò nec juris ad rem, seu dominii inchoati ipsi capaces erunt: nec per consequens de ulla re, vel mercede sibi debenda, undè jus ad illam ipsis acquiratur, rigorosè pacisci poterunt.

Adde, quod loquendo de mercede pecuniaria, de hac sibi danda rigorosè pacisci, esset *directè* pecuniam ipsam conquirere; quod Fratribus non licere, per Propositiones infrà statuendas manifestum fiet.

Nota. Dixi autem, non posse Fratres de mercede sibi tribuenda pacisci *rigorosè*, ut intelligatur, quod etsì Fratribus est interdicta pactio civilis, & politica, ut proximè probatum est; non tamen eis est interdicta etiam quælibet pactio *latè sumpta*, quæ nullum scilicèt jus politicum, & propriè dictum ad rem, seu mercedem parit, qualis v. g. haberetur in casu, quo aliquis sæcularis volens alicui Fratri aliquod opus manuale committere, eum interrogaret, quanti opus illud, cùm perfectum fuerit, sit valiturum; & Frater responderet, quod consideratis materia ex qua confici debet, labore, industria, & tempore impendendis &c. opus tanti, vel tanti valebit: Hæc, inquam, pactio latè sumpta, & quæ, ut li-

quet,

quet, nullum jus politicum ad mercedem parit, Fratribus interdicta non est; cùm hic locum non habeat ratio in proxima probatione adducta.

COROLLARIA.

POterunt ergò Fratres Minores, etiam cum animo & fiducia mercedem aliquam, seu eleemosynam consequendi (ut sup. n. 58 & 59); & dummodò de mercede, seu eleemosyna sibi tribuenda rigorosè non paciscantur (ut sup. n 60); poterunt, inquam (ex dictis n. 55 & 57.) inter cætera laboritia honesta, acceptare, vel etiam procurare, quæ sequuntur. Nempè.

61 Poterunt primò, nedùm Suggesta acceptare ad Verbum Dei prædicandum, ubi hæc ab Episcopis, vel Ecclesiarum Rectoribus, aut Communitatibus respectivè, sibi ad eum finem fuerint exhibita; sed & poterunt etiam ipsos Episcopos, vel Ecclesiarum Rectores, aut ipsas Communitates rogare, ut ejusmodi Suggesta, ad Verbum Dei prædicandum, quæ ab illis respectivè conferri solent, sibi ad prædicationis officium ibidem exercendum, conferant, seu assignent.

62 Poterunt secundò, commissiones acceptare Missarum manualium celebrandarum, quoties agnoverint, se pares esse intra modicum tempus, juxta tenorem celeberrimæ Bullæ Innocentii XII., illis satisfacere.

Poterunt tertiò, ubi commissiones hujusmodi manualium Missarum sibi a Fidelibus sponte factæ non fuerint, nec alia Missarum onera habuerint, quibus satisfacere debeant; Fideles ipsos rogare, ut similes commissiones sibi facere velint.

63 Poterunt quartò, item acceptare a Patronis, seu benefactoribus Capellanias, & Officiaturas, præsertim in propria Ecclesia ipsorum Fratrum fundatas, aut

aut ibi adimplendas; dummodò hæ perpetuæ non, fint, & Fratres non se obligent ex mutuis pactis, conventionibus, & instrumentis, ad eas in perpetuum, aut etiam ad præfixum tempus adimplendas.

Nota. Nomine *Capellaniæ*, & *Officiatura*, nos in præsenti Corollario non intelligimus Legata pia relicta a Testatoribus in favorem Fratrum, cum aliquo onere per ipsos Fratres implendo: de his enim Legatis agemus Corollario sequenti. Sed loquimur de Missis, aut Divinis Officiis, quas, vel quæ Patronus, aut Benefictor, ex obligatione a Majoribus sibi relicta, aut ex propria devotione, tenetur, aut vult celebrari facere; & liberum ipsi est, eas, vel ea celebrari facere per quoscunque etiam alios, præter Fratres Minores; merèque sponte, ac liberè movetur ad talem celebrationem Fratribus nostris committendam. Quod ad tollendam quamlibet æquivocationem, hic adnotatum volui.

Nota 2. D XI, *præsertim in propria Ecclesiâ ipsorum Fratrum fundatas, aut ibi adimplendas*. Nam Fratres Capellanias, & Officiaturas extra propriam Ecclesiam suscipere, vel tenere, videtur nostri Ordinis generalibus Statutis, & Pontificiis Sanctionibus non satis conformum. Siquidem quod primò spectat Statuta Ordinis, statutum habemus in Cap. Gen. Rom. 1600., quod ad custodiendam solitudinem, quæ vitæ spirituali plurimùm confert, ejusmodi Capellanias Fratres non habeant; exceptis Locis illis, in quibus Principes, vel Communitates, ob eam devotionem, qua erga Ordinem afficiuntur, volunt Fratres nostros duntaxat celebrare; illisque Oratoriis, vel Confraternitatibus etiam exceptis, quæ a nostris Patribus olim fundata fuere, aut de quibus per longum temporis spatium ipsi curam gesserunt. Et specialiter insuper prohibetur ibidem, ad vitandam occasionem cum Monialibus colloquendi, aut familiaritates cum ipsis contrahendi, ne Fratres Capellanias

ha-

habeant in Monasteriis Monialium, sive nostri sint, sive alterius Ordinis. Quod Statutum, seu quam prohibitionem postea renovavit Cong. Gen. Rom. anni 1615, dicens, quod *nullus Guardianus Capellanias extra Conventum officiandas assumat; & siqua sunt adhuc, relinquantur. Et ut nostris Ecclesiis inserviamus, & satisfaciamus, non mittantur Sacerdotes ad celebrandas Missas extra Conventum, nisi urgentissima fuerit causa.* Quod verò spectat Pontificias Sanctiones, extat Constitutio Clementis VIII. incip. *Ex debito* data sub die 8. Novemb. 1603.; per quam Constitutionem, ne Ecclesiis Fratrum Minorum debitum subtrahatur servitium, & ut Fratribus ipsis occasio tollatur per Civitates cum sæcularium scandalo vagandi, & cum Monialibus frequenter conversandi; transfert laudatus Pontifex onera Missarum ab Ecclesiis singulis Monialium Ordini nostro subjectarum ad ipsas Ecclesias Fratrum in Locis eisdem respectivè existentes; ita ut in Ecclesiis Fratrum, oneribus Missarum Monialium Ecclesiis per Testatores affixis, æquè per Fratres ipsos possit satisfieri; & Moniales teneantur Fratribus solvere pro singulis Missis eleemosynam congruam, juxta consuetudinem Loci, retento pro Monasterio, siquid, post congruam eleemosynam Fratribus elargitam, ex relictis a Testatore supererit. Et revera nimis frequentem Sacerdotum nostrorum, præsertim juvenum, ad celebrandum extra Conventum, egressum, spiritus religiosi dissipationem, contra expressam S. P. Francisci mentem, dicentis in ipso cap. 5. Regulæ, Fratres laborare ita debere, *ut sancta orationis, & devotionis spiritum non extinguant*; studiorum litterariorum jacturam; nostrarum Ecclesiarum servitii, & cultus discrimen; Habitus nostri, & Instituti decens; minorem sæcularium ædificationem importare, & causare, ipsa jam satis, & plusquam satis, experientia docemur. Ubi nihilominus, ut Rigoristæ notam decl-

clinem, animadversum velim, quod, etiamsi optandum foret, ut præmissæ sanctiones in Ordine nostro observarentur; fatendum tamen est, eas ad obligandum, vim rigorosam in præsenti non habere; cum per contrariam consuetudinem, jam ab obligando, saltem per se præc sè, cessaverint.

Nota 3. Limitavi præterea dicendo, *dummodò Capellaniæ non sint perpetuæ, & Fratres non se obligent ex mutuis pactis &c.*. Ejusmodi namque, talique modo Capellanias recipere, juxta Apostolicas Declarationes, Fratribus prohibetur exprefse in statutis Vallisoletanis anni 1593. Quam prohibitionem etiam iteravit Cap. Gen. Rom. 1612: Et S. C. Concilii in quadam *Justinopolitana Missarum*, die 18 Novembris 1719. definivit, ejus generis pacta, conventiones, & instrumenta, inter Fratres Minores de Observantia ex una parte, & sæculares personas, seu familias ex alia, siquando inita, vel attentata fuerint, nullius prorsus valoris habenda esse. Sed jam pergamus ad reliqua.

64 Poterunt quintò iidem Fratres Minores, servato modo sibi ab eorum Legibus præscripto, habitisque approbatione, & consensu expresso Prælati Generalis, vel Provincialis, suscipere adimplenda (non tamen procurare ullatenus, ut sibi, etiam servato modo licito, committantur) onera Missarum, aliorumque Officiorum divinorum, ex piis Legatis relictis a Testatoribus.

Nota. Modus circa Legata pia a Fratribus servandus, juxta doctrinam S. Bonaventuræ, & Declarationes Apostolicas, clarè assignatus, & præscriptus habetur in Cong. Gen. Rom. anni 1603; ubi decernitur, & præcipitur per sanctam obedientiam, quod quoties relinqui contingat aliqua Legata perpetua aliquibus Personis, aut Hospitalibus, vel alicui Reipublicæ, & aliis Domibus; ea lege quod teneantur Fratribus præstare singulis annis certam eleemo-

sy-

fynam, fivè omninò gratis, fivè ut ipfi Fratres dicant certa Officia, & Miffas; Guardianus faciat ei, qui Teftatoris voluntatem adimplere tenetur, proteftationem in fcriptis fub fequenti formula „ *Nos* 65
Fr. N. Guardianus, & FF. Difcreti Conventus N., dicimus, ad noftram notitiam perveniffe, quondam N. certam eleemofynæ quantitatem, Conventui huic diftribuendam perpetuò, gratis, vel forfan pro aliquibus Officiis, aut Miffis dicendis, legaffe. Cùmque Legata hujufmodi, nifi per viam fimplicis eleemofynæ acceptare, ex Inftituto fancto noftro, & jure nobis non liceat; ideò per præfentes, liberè proteftamur in Domino, quod Legatum prædictum, tanquam illius incapaces, ex vi Legati recipere nolumus, nec intendimus. Si tamen Hæres, Commiffarius, aut Legatarius ipfius Teftatoris dictam quantitatem, per viam fimplicis eleemofynæ, omni obligatione, dominio, & proprietate penitùs ceffantibus, nobis liberè conferre voluerit, illam fimpliciter accipiemus, & piæ Teftatoris voluntati, quantum in nobis fuerit, plenè, ac fideliter fatisfaciemus „. Quæ proteftatio fubfcripta per Guardianum, & Difcretos Conventus, & ejusdem Conventus figillo munita, dabitur illi, qui tenetur Teftatoris voluntatem implere. Præmiffum autem Decretum, atque præceptum ratum habuit, innovavitque alia Congr. Gen. Rom. celebrata anno 1615.; idemque Sacra quædam Congregatio confultationibus noftræ cifmontanæ Familiæ fpecialiter præpofita ab Urbano VIII. obfervandum omninò, ac omnimodæ executioni mandandum cenfuit, ac Fratribus graviter injunxit. die 14. Junii anni 1618. Quapropter D[illegible] regula certiffima eft, a Fratribus Minoribus [illegible] Legatorum materia prorsùs attendenda.

Sed ulteriùs, ut etiam eo modo onera Legatorum adimplenda Fratres fufcipere valeant, debent, juxta tenorem Bullæ Innocentianæ *De celebratione Miffarum*, priùs obtinuiffe approbationem, & licen-

 tiam

tiam in scriptis Prælati Generalis, vel Provincialis: Qui Prælati licentiam ejusmodi, ex eadem Bulla, concedere non debent, nisi prius diligenti inquisitione facta ipsis legitimè constiterit, posse Sacerdotes illius Conventus, pro quo licentia petitur, tàm novo oneri suscipiendo, quàm antiquis jam susceptis satisfacere &c.

Scire insuper debent Fratres, sibi esse interdictum, quempiam, sivè mediatè, sivè immediatè inducere, ad nova Legata, tàm perpetua, quàm temporaria, cum oneri subjecta, tùm ab onere soluta, nobis facienda, etiam sub modo nobis licito, & suprà assignato. Hoc enim Fratribus ipsis prohibitum pronuntiavit Clemens V. cap. *Exiit in Clem. de verb. sign. §. 9. Proindè*: & iterùm insinuavit, inculcavitque Fratribus, unà cum Decretis reliquis circa Legata hactenùs recensitis, de mandato Summi Pontificis Benedicti XIII., Reverendissimus Pater Laurentius a S. Laurentio Minister Generalis, per suam encyclicam Epistolam datam sub die 28. Octobris 1724. cujus initium *Altissima paupertas*.

PROPOSITIO IX.

Si postquam laboritium honestum sibi impositum, aut commissum Fratres impleverint, merces ab imponentibus, seu committentibus eis denegetur; non possunt ipsi Fratres eam rigorosè exigere; nec eis licet contra fraudantes in judicio agere, aut Judicis officium vel solùm implorare. Poterunt tamen id præstare, tanquam nomine S. Sedis, Apostolici Syndici.

66 *Probatio primæ partis*. Ille non potest quidquam a quoquàm rigorosè exigere, aut contra quemquam, ad

ad aliquid ab eo exigendum, in judicio agere, qui ad rem nullam jus habet, nec habere potest; jus enim ad rem duntaxat illud est, ut diximus suprà (n. 60) quod actionem personalem parere habet, hoc est actionem in judicio, seu apud legitimum Judicem, contra personam, quæ rem illam debet. Atqui Fratres Minores (ut ibidem probavimus) ad rem nullam jus habent, nec habere possunt. Ergò nec poterunt consequenter iidem Fratres quidpiam a quoquam rigorosè exigere; aut contra quemquam, ad aliquid ab eo exigendum, in judicio agere; aut Judicis officium implorare. Atque adeò, dato casu in Propositione expresso, in quo merces ab iis, qui aliquod ipsis Fratribus laboritium imposuerunt, denegetur; nequibunt iidem Fratres, adversus imponentes, seu committentes ipsos, ad eam mercedem exigendam, quidpiam moliri. Sed consilio potius tunc iis inhærendum erit Seraphici Patriarchæ in suo Testamento dicentis, quod *quando non daretur nobis pretium laboris*, tunc debemus *recurrere*, non utique ad Tribunalia, contra fraudantes, sed potius *ad mensam Domini, petendo eleemosynas ostiatim*. Atque ad summum id unum Fratribus in casu relinquetur, quod eos facere posse in simili, tradidit Nicolaus III. cap. *Exiit de verb. sign. in 6. §. 12. Cæterùm*; videlicet debentes, ipsos rogare ut solvant; aut etiam ipsos fraudantes hortari, ut animæ suæ saluti consulant, seu provideant.

Probatio secundæ partis. Quod autem circa exactionem, etiam rigorosam & juridicam mercedis, Fra- 67
tribus, ob laboritium eis impositum, & ab eis jam impletum, debitæ, auctoritatem legitimam, plenamque potestatem habeant Apostolici Syndici, constat manifestè ex tenore Constitutionis Pauli IV. suprà recensitæ (n. 20. 21. & 22). Ibi namque Syndicis prædictis, *auctoritate Apostolica, in judicio, & extra illud, potestatem concedit* Pontifex, ut inter cætera,

plenam, & generalem, ac liberam auctoritatem habeant, nedùm *petendi, & exigendi res, & eleemosynas* Fratribus quomodolibet obvenientes, verum etiam *agendi contra illos, qui res mobiles, & immobiles (quibus Fratres uti possunt, & quarum jus, proprietas, & dominium ad Ecclesiam Romanam, nullo medio, spectat) & earum pretium; vel relictas Fratribus eleemosynas in Testamentis, aut aliàs eis donatas, & concessas (etiam pro Missis, & aliis divinis Officiis) occuparent, vel violenter auferrent, sivè contra voluntatem Fratrum quomodolibet retinerent*. Quo posito textu, sic argumentum instaurare liceat „ Ex Bulla Pauli IV., inter res, quas possunt Apostolici Syndici, auctoritate ac nomine S. Sedis, petere, & exigere, & pro quibus possunt ipsi etiam in judicio agere, recensentur eleemosynæ pro Missis, & divinis Officiis. Atqui eleemosynæ pro Missis, & Divinis Officiis, verè sunt mercedes laborum a Fratribus patratorum: cùm Missæ, & Divina Officia locum habeant, & quidem præcipuum, inter honesta laboritia, quibus Fratres incumbere tenentur; ut declaravit Nicolaus III. cap. *Exiit de verb. sign. in 6. §. 21. Continetur* (sup. num. 37.) Ergò possunt Apostolici Syndici mercedem Fratribus, ob laboritium ab eis exercitum, debitam rigorosè exigere, adversùs fraudantes, etiam in judicio, agendo, vel saltem officium Judicis implorando.

Et verò, licèt Fratres Minores, ratione sui status, jus nullum habeant, nec habere queant ad mercedem per laboritium promeritam; ideoque illam per se rigorosè exigere non possint, ut suprà dictum est (n. præc.); tale jus nihilominùs ad mercedem illam habet Summus Pontifex, cui Fratres tanquam filii parenti acquirunt; ut in cit. cap. *Exiit §. 9. Ad hæc*, idem Nicolaus affirmat: Undè consequitur, contrà ac dictum est de Fratribus per seipsos, ut possint Apostolici Syndici, ipsius Pontifi-

cis

eis nomine, eam mercedem rigorosè, & etiam in
judicio, aut saltem Judicis opera implorata, exigere.
Si enim id non possunt Fratres per seipsos præsta-
re, quia nullum ad mercedem jus habent: ergò à
contrario, potest id præstare Summus Pontifex, &
ejus nomine, Apostolicus Syndicus, quia Pontifex
jus habet ad mercedem illam.

Nota. Hoc totum procedit (ut patet ex ipso Pro- 68
positionis titulo) de mercede Fratribus debita pro
laboritio jam eis imposito, & jam ab eis impleto vel
patrato. Si enim sermo esset de mercede pro labori-
tio nondum impleto vel patrato, sed implendo vel
patrando, diversimodè de illius exactione, etiam per
Syndicum Apostolicum, dicendum foret; cùm ad
mercedem ejusmodi Fratres nedùm sibi, sed nec ipsi
Pontifici jus ullum acquisierint. Quoniam autem sub
hoc mercedum genere veniunt præstationes annuæ,
pro, & cum oneribus, per Fratres, juxta mentem
Testatorum, implendis; circa illicititatem exactionis
præstationum hujusmodi, etiam per Syndicum fa-
ciendæ, notandum hìc, Fratribus id esse gravissimè
prohibitum, sub pœna excommunicationis, per De-
cretum Sacræ Cong. Rev. Fab emanatum sub die 14.
Februarii 1633., quod ita habet in terminis „ *Pro-
hibuit S. C. Fratribus prædictis* (Minoribus de Ob-
servantia) *sub pœna excommunicationis ipso facto in-
currenda, ne audeant, seu præsumant, nec quilibet eo-
rum audeat, seu præsumat per se, nec per alios, Syn-
dicos, Ministros, seu Procuratores, tàm sæculares, quàm
regulares, dictas annuas præstationes, seu Legata, nec
judicialiter, tàm coram quocunque Judice Ecclesiastico,
quàm sæculari, ordinario, vel delegato, nec aliàs; ni-
si juxta formam Decreti Congregationis Fratrum Mi-
norum de Observantia S. Francisci Cismontanæ Fami-
liæ, a SS. D. N.* (Urbano VIII.) *deputatæ* (intelli-
git Decretum de die 24. Junii 1628., quo confirma-
tur Statutum Ordinis circa Legatorum acceptatio-

 nem,

quæstuare, seu colligere; aut capsas, ad ejusmodi eleemosynas colligendas, exponere.

Probatio. Constat apertissime hujus Propositionis veritas ex Clementina *Exivi de verb. sign.* §. 8. *Porrò cùm dictus*: ubi dicitur, quòd *Quæstus omnis pecuniæ . . . . in Ecclesia, vel alias; cyppi, seu trunci, ordinati ad offerentium, seu donantium pecunias reponendas &c. . . . . hæc sunt eis* (scilicet Fratribus Minoribus) *simpliciter interdicta*. Hæc siquidem prohibitio, nisi afficiat quæstuationes, seu collectiones pecuniarias *directas*, quas contingere posset, ut Fratres in propria Ecclesia, aut alibi, per se, aut (quod idem est ex cap. 4. Regulæ nostræ, & ex reg. 72. Jur. in 6.) per interpositas, seu ab ipsis deputatas personas, facerent, nescio profectò, quinam alii pecuniæ quæstus ibi interdicti censeri, aut intelligi queant. Cùmque eadem Clementinæ prohibitio absolutè & generaliter habeat, Fratribus interdictos esse *quæstus pecuniæ omnes*; sequitur quod prohibitio ipsa, absque ulla limitatione, seu exceptione, pronuntiata intelligi debeat; omnesque proinde pecuniarias quæstuationes, collectionesve comprehendat, quæ ab ipsis Fratribus per se, aut per personas interpositas fieri fortasse possent; tàm scilicèt quæ fierent tempore, vel occasione concionis, quàm quæ fierent alio quocunque tempore, aut alia occasione qualibet; sivè pro ipsis Fratribus, eorumve necessitatibus, sivè pro alia causa, etiam pia, quacunque.

COROLLARIA.

PEccant ergò Fratres Minores, quotiescumque, per seipsos pecuniam *directè* quæstuent, seu colligant; sivè ipsam quæstuent, seu colligant in propria Ecclesia, sivè in alio quocunque loco; sivè concionis, sivè alio tempore, aut occasione; sivè 70

PROPOSITIO XI.

NOn licet Fratribus Minoribus committere Apostolicis eorum Syndicis, sive eos rogare, ut per se vel per suos Substitutos, eleemosynas pecuniarias pro ipsis Fratribus, aut pro alia quacunque causa, in Ecclesiis, aut alibi, *directè* quæstuent, seu colligant, vel capsulas, ad pecuniarias eleemosynas, ut suprà, colligendas, exponant: imò nec possunt Fratres in talia consentire, ubi Syndici ipsi ad ea spontè, & ex se moverentur.

Probatio. Siquidem talia Syndicis Apostolicis committere, aut etiam permittere, esset, respectu Fratrum, Syndicis Apostolicis uti, ultra id, quod sibi a Summis Pontificibus concessum est; & consequenter alios ad pecunias, Syndicis mediantibus, habere recursus, qui per Declarationes Apostolicas non conceduntur: quod Fratribus ipsis esse interdictum, Clemens V. pronuntiavit in sæpe laudata Decretali *Exivi de verb. sign.* §. 8. *Porrò cùm dictus*; quia nempe, ut ibidem ait idem Pontifex, *Ubi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expressè non conceditur, intelligitur denegatum*. Jam autem Fratribus Minoribus concessum non esse, atque adeò, ut mox dicebamus, ipsis esse interdictum, Syndicos Apostolicos, ad pecuniarias eleemosynas quæstuandas, colligendasve, adhibere, manifestè constabit, si singula prædictorum Syndicorum munia, ipsis per Summos Pontifices, quorum illi Ministri sunt, demandata, & commissa, ad mentem hic revocemus: quæ ne iterùm cogamur exscribere, ad ea per extensum videnda in Bulla Pauli IV. remittimus (sup. num. 20. 21. & 22.). Inter quæ, cùm (ut nemo ea perpendens non videt) nullum locum habeat *pecunia* pro Fratribus, aut aliis caussis suprà (num. 70.) memoratis, *quæstuatio directa*; 71

COROLLARIU

Quæcunque ergò, in materia quæstuationis pecuniariæ *directa*, Fratres per se, aut per personas interpositas, facere non possunt; nec etiam facere possunt per Apostolicum Syndicum; nec iste ullam, ad ea facienda, Apostolicam commissionem, vel auctoritatem habet. 73

PROPOSITIO XII.

Non licet Fratribus Minoribus permittere vel consentire, multòque minus licet eis curare, ut in propria Ecclesia, vel alibi, eleemosynæ pecuniariæ *directè* quæstuentur, seu colligantur, etiam a personis extraneis; si ejusmodi eleemosynæ, vel earum pars, in ipsorum Fratrum, vel eorum Conventus, Ecclesiæ, aut Sacristiæ utilitatem cesturæ sint.

Probatio. Ex quo Fratribus Minoribus sit interdi- 74
ctum pecuniam *directè* quæstuare, seu colligere, non tantùm per se, sed etiam per personas interpositas, ut suprà (num. 69.) videtur manifestè inferri posse, quod præsens Propositio habet. Siquidem personæ illæ extraneæ, quibus Fratres committerent, seu permitterent eleemosynas pecuniarias pro ipsismet Fratribus, aut eorum locis colligere, non video, quomodo personæ interpositæ verè dici non possent, aut verè non essent; quippè quas Fratres ipsi ad pecunias *directè* quæstuandas, seu colligendas, deputassent, aut elegissent; vel eas requirendo, ut contingeret in casu commissionis; vel saltem eas ultroneè se exhibentes admittendo, ut fieret in permissionis casu: & consequenter in utroque verum esset, Fratres per interpositas personas, pecuniam *directè* quæstua-

ſtuate: quod ipſis vetitum eſſe, jam demonſtravimus (num. 69.)

Quod æquè eſſet verum, etiamſi colligentes, ſeu quæſtores, non integram quæſtuatam, ſeu collectam eleemoſynam, ſed illius partem duntaxat, in Fratrum utilitatem eſſent erogaturi; æquè enim minoris, ac majoris quantitatis pecuniæ, etiam per perſonas interpoſitas, *directa* quæſtuatio Fratribus interdicta eſt.

Quod ſi Fratres, ad omnem a ſe ſcrupulum amovendum, cum hujuſmodi ſibi extraneis quæſtoribus convenirent, de quadam ex collectis, ſeu quæſtuatis pecuniis, certa, ac determinata portione ipſiſmet Fratribus danda; exiſtimantes fortaſsè, ſe tali via exemptos fieri a culpa pecuniariæ quæſtuationis *directæ* ſibi vetitæ; quia nempè nihil ipſorum intereſſet in caſu, quod a quæſtoribus plus, aut minus pecuniæ colligeretur; tantum abeſt, ut ſic Fratres malum vitarent, quin potiùs in deterius ruerent. Sic enim ad vetitum pecuniæ quæſtum, quoddam accederet, ut ita dicam, inter Fratres, & quæſtores, locationis & conductionis, vel etiam aſſecurationis pactum; cujus, ut & alterius cujuſcunque pacti ineundi, quemadmodum & dominii, Fratres Minores incapaces eſſe, ſuprà probavimus (n. 60.). Nec melioris conditionis cauſa fieret, ſi ejuſmodi pacta cum quæſtoribus, in Fratrum commodum, iniret Syndicus Apoſtolicus; auctoritas enim Syndicis Apoſtolicis a Summis Pontificibus attributa, & intra cujus limites ſe continere illi debent (ut ſup. n. 71.) ad ea pacta non ſe extendit in Fratrum commodum ineunda, quæ Fratribus apta eſſent quodammodo creare emolumentum aliquod *ad naturam proventuum appropinquans*; cujuſmodi certè foret pactum, de quo nunc loquimur: ejus ſiquidem generis emolumenta Fratribus Minoribus illicita, & prohibita eſſe, de-

cla-

claravit Clemens V. cap. *Exivi de verb. sign. §. 9. Proinde*, & §. 11. *Licet vero*. Atque hæc porrò aliquanto subtilius discussa volui, ocquis fortè Fratrum, ineptè tergiversando, in puritatis Regulæ nostræ, & ejus observantiæ detrimentum, sibimet sucum faceret.

COROLLARIUM.

NOn licet ergò Fratribus, etiam personis sibi 75
extraneis quibuscunque committere, aut etiam, ubi requisiti fuerint, consensum dare, ut pro ipsis Fratribus, pecunias in Ecclesia, vel etiam alibi, colligant, seu *directè* quæstuent; sivè animus sit per ejusmodi collectas Fratrum Conventui subveniendi, sivè nostris Concionatoribus, assisve sacris Operariis gratificandi, sivè Fratrum Ecclesiam ornandi, aut Sacristiæ commodis consulendi, sivè tandem cujuscunque etiam alterius generis rem, Fratrum utilitatem, vel commodum concernentem faciendi.

PROPOSITIO XIII.

UBi nihilominùs Magistratus, vel Communitas (nullatenus requisito Fratrum consensu) pecuniam etiam *directè* quæstuaverint, vel quæstuari fecerint; eamque collectam ipsis Fratribus, vel liberaliter pro eorum levandis necessitatibus, Conventibus instaurandis, aut Ecclesiis ornandis, vel pro laborum ab eisdem Fratribus patratorum retributione &c., obtulerint, vel exhibuerint; poterunt ipsimet Fratres eam acceptare; seu verius consentire, ut Syndicus Apostolicus eam recipiat. At ubi tamen Fratrum consensu, ad quæstuandam *directè*, pro dictis, & similibus causis, pecuniam, etiam per Ma-

Magistratum, vel Communitatem, requisitus fuerit, ejusmodi consensum Fratres dare non poterunt.

76 *Probatio primæ partis*. Cum Fratres Minores in proposito casu, nullum vel minimum in *directam* pecuniæ quæstuationem habuissent influxum, pecuniaria eleemosyna, quæ ipsis offerretur, propriè non esset (relatè ad Fratres) pecunia quæstuata; sed esset potiùs pecunia spontè oblata, aut pro mercede exhibita. Atqui potest Apostolicus Syndicus, nomine S. Sedis, pecuniam Fratribus spontè oblatam, aut pro laborum mercede ipsis exhibitam recipere, ut suprà ostensum est (num. 25.). Ergò, ut Syndicus Apostolicus pecuniam recipiat, a Magistratu, vel Communitate, prout in casu in Propositione expresso, collectam, & Fratribus exhibitam, Fratres ipsi consentire poterunt.

77 *Probatio secundæ partis*. Quod autem, ubi Fratrum consensus, ad quæstuandam *directè*, pro recensitis in Propositione causis, pecuniam, etiam per Magistratum, vel Communitatem requisitus fuerit, nequeant ipsi Fratres ejusmodi consensum præbere; constat ex eo, quod si Fratres præberent ejusmodi consensum, Magistratus, vel Communitas evaderent illo in casu, relatè ad Fratres, personæ interpositæ, seu ab ipsismet Fratribus, ad quæstuandam *directè* pro eis pecuniam, veluti deputatæ, si non commissione & jussu, permissione saltem, & approbatione: quod Fratribus non licere, suprà demonstravimus (num. 74).

COROLLARIA.

78 EX adductis in probationem primæ partis hujus Propositionis (n. 76.) colligitur, posse Fratres Minores acceptare, seu veriùs consentire, ut eorum Syndicus Apostolicus recipiat eleemosynas pecuniarias, etiam *directè* quæstuatas, seu collectas, sine sci-

tu

tu, & consensu ipsorum Fratrum, etiam ab aliis benevolis, & piis Fidelibus, præter Magistratum, & Communitatem: ob identitatem rationis.

Ex adductis verò in probationem alterius partis (num. 77.) consequitur primò, non posse Fratres Magistratui, Communitati, aut alteri cuilibet consensum præbere, ad pecuniam *directè* quæstuandam intra nostras Ecclesias, ubi sciverint, talem pecuniam esse colligendam, ut deinceps applicetur in aliquod (sicut exprimitur in Propositione) ipsorum Fratrum, aut eorum Locorum commodum. Quod si quæstores (quicunque hi sint) in petendo Fratrum consensum, simularent se pro alia causa, velle in ipsorum Fratrum Ecclesia pecuniarias eleemosynas colligere, aut colligi facere; & postea collectas Fratribus offerrent; deberent in casu Fratres ab illis acceptandis prorsùs abstinere; nè illas acceptando, viderentur hoc *in Legis fraudem* facere; quod eis maximè cavendum esse, docuit in simili (nempè in Legatorum materia) Summus Pontifex Clemens V. cap. *Exivi de verb. sign.* § 9. *Proindè*. 79

Consequitur secundò, ad ejusmodi pecuniarias eleemosynas, etiam extra Ecclesiam, pro causis in Propositione expressis & similibus, *directè* quæstuandas, seu colligendas, non posse Fratres concedere quæstoribus, seu collectoribus (quicunque hi sint) Tertiarium aliquem cum ipsis Fratribus conviventem, multòque minùs aliquem Fratrem professum, qui ipsos quæstores, seu collectores associet, ut sic faciliùs eleemosynas inveniant: cùm etiam hoc in casu, ut planum est, Fratrum consensus, imò & influxus, in *directam* pecuniæ quæstuationem, in suum ipsorum commodum peragendam, accederet. 80

Consequitur tertiò, non posse Fratres, etiam in alienis Ecclesiis, eleemosynæ pecuniariæ erogationem Fidelibus commendare, quam ipsi sciunt, in eorum favorem (per quæstores quoscunque) fore colligendam: 81

dam: & hoc enim esset, ut patet, in quæstuationes, seu collectiones pecuniarias *directas*, pro se faciendas, consentire, imò, quod plus est, positivè influere.

PROPOSITIO XIV.

NOn est Fratribus Minoribus ulla rigorosa lege prohibitum permittere, vel consentire, ut extraneæ personæ ad Fratres ipsos nullatenùs attinentes, sponte sua, & absque Fratrum impulsu, pecuniarias eleemosynas, pro causis saltem piis, etiam in eorumdem Fratrum Ecclesiis, *directè* quæstuent, vel colligant: dummodò causæ illæ piæ Fratrum ipsorum utilitatem nullatenùs concernant: & dummodò caveant Fratres, ne ejusmodi collectiones pecuniariæ, etiam ab extraneis, in nostris Ecclesiis fiant, non manifestata offerentibus causa, pro qua pecunia quæstuatur, seu colligitur.

82 *Probatio primæ partis*. Cùm enim Fratres, in hypothesi, ad collectiones pecuniarias *directas* nihil positivè conferrent, sed merè permissive se haberent; nec illæ, ut supponitur, Fratrum ipsorum commodum ullatenùs respicerent, undè quæstores aliquo pacto dici possent, relatè ad Fratres, personæ interpositæ; (nam personæ interpositæ relatè ad Fratres, in hac quæstuationis materia, illæ duntaxat dici possunt, quæ vel *commissivè*, ad quæstuandum pro quacunque causa, per Fratres deputantur, ut suprà num. 69.; vel *approbativè*, ad quæstuandum in eorum commodum, ab ipsis admittuntur, ut num. 74. & 77); consequens professò remanet, quod si aliqua in hoc foret repugnantia, hæc unicè se teneret ex parte *loci*, seu Ecclesiarum Fratrum; quatenùs nempè in his pecuniarii quæstus omnes, & ii etiam, qui a Fratrum extraneis fiunt, & in quibus

Fra-

Fratres nullum interesse habent, prohibiti essent. Verùm nulla adest *rigorosa* lex, ejusmodi prohibitionem continens, Nulla enim lex alia *rigorosa* potest ad rem proferri, nisi textus Clementinæ *Exivi de verb. sign.* § 8. *Porrò cùm dictus*, quem textum suprà retulimus sub num. 69.. Verumtamen, etiamsi Clementina ibi mentionem faciat *loci*, seu *Ecclesia*, dicens, quod *Quæstus omnis pecunia* . . . . . *IN ECCLESIA*, *vel ALIBI*; *cyppi*, *seu trunci* &c. . . . . *hæc sunt eis* (nempè Fratribus) *simpliciter interdicta*; quis nihilominùs non videat, *loci*, aut *Ecclesia* mentionem ibi fieri, relatè ad personas Fratrum duntaxàt, non autem relatè ad extraneos? Dicitur enim, quod omnis quæstus pecuniæ est interdictus Fratribus, non autem quod est interdictus etiam extraneis. Et revera, si etiam extranei in tali prohibitione comprehenderentur, non solùm prohiberetur ipsis pecuniam quæstuare in nostris Ecclesiis, sed etiam alibi; cum ibi *quæstus omnis pecunia*, cùm *in Ecclesia*, tùm *alibi* interdictus dicatur: quis autem hujusmodi consecutionem admiserit?

Probatio secundæ partis. Quod autem Fratres permittere non possint, etiam extraneis, ut in nostris Ecclesiis pecunias *directè* quæstuent, seu colligant, quando collectionis causa Fratrum ipsorum utilitatem aliquo modo respiceret; constat ex dictis suprà sub num. 74, & repetitis sub n. 77. 83

Probatio tertiæ partis. Denique quod Fratres, ubi extraneis permiserint intra nostras Ecclesias pecuniam quæstuare, seu colligere (ut sup. num 82.) curare debeant, ut causa manifestetur, pro qua pecunia colligitur, patet ex eo, quod tenemur nos Fratres omnem auferre a proximis occasionem minùs rectè de nobis, & Instituto nostro, in materia præsertim paupertatis, judicandi; ut monuit Clemens V. in sua sæpiùs citata Decretali *Exivi de verb. sign.* §. 9. *Proindè*: Quam profectò occasionem a proximis 84

non auferremus, quinimò præberemus eisdem, si causa, pro qua interdùm in Ecclesiis nostris *directè* quæstuatur ab extraneis pecunia, reticeri consentiremus; sic enim possent offerentes errore decepti existimare, quod pro Fratrum utilitate pecunia colligeretur; sicque minùs rectè judicare possent de altissima paupertate nostra, deque omnimoda rerum omnium temporalium, & pecuniæ præsertim abdicatione, quam profitemur. Unde ne id contingat, debent Fratres curare, ut causa pecuniariæ quæstuationis, in exposito casu, offerentibus manifesta fiat.

85 *Nota*. Dixi in Propositione, quod permittere extraneis, ut in nostris Ecclesiis, pro causis præsertim piis, & Fratrum utilitatem non concernentibus, pecunias interdùm colligant, non est Fratribus prohibitum *ulla rigorosa lege*. Per quod innuere volui, quod licèt id nec habeatur prohibitum in Regula, nec in Pontificiis super eamdem Declarationibus, quæ *leges rigorosæ* appellari, & haberi meritò debent; non deest tamen hujusmodi prohibitionis vestigium aliquod in Statutis generalibus, pro hac præsertim Cismontana Familia, ab Ordine nostro confectis, quæ Statuta nil vetat, quin *leges* saltem *minùs rigorosæ* appellari possint. Siquidem in Gen. Cong. Rom. anni 1615. ita præcipitur: *Nulla eleemosyna pecuniaria quovis prætextu, aut titulo, intra Ecclesias nostras, etiam inter prædicandum, vel quovis alio tempore, permittatur peti: & Guardianus, vel Vicarius, qui illud permiserit, statim privetur suo officio*. Quo in Decreto, ut patet, Fratribus vetatur, ne etiam extraneis permittant, sub quovis titulo, & consequenter etiam pro causis piis quibuscunque, intra nostras Ecclesias pecuniam quæstuare. Verùm, cùm Decretum ejusmodi, ex quo nec ex Regula, nec ex Declarationibus Apostolicis eruatur, ad essentiam Professionis, & Status nostri non pertineat; sed a Religione emanatum sit ad melius esse tantummodò, consideratis illius temporis circumstantiis; nihil

hil

hil obstare videtur, quominùs circumstantiis illis hodie variatis, seu non ampliùs subsistentibus, potuerit jam ab obligando cessare; idque maximè ubi vigeat longæva consuetudo in contrarium: quam quidem obligationis cessationem in similibus dari posse, Theologorum, & Canonistarum doctrina est, & præsertim Benedicti XIV. in suo Opere de Syn. Diœc. lib. 11. cap. 13. num. 3.

COROLLARIA.

POterunt ergò primò Fratres Minores, ex dictis sub n. 82., permittere, ut in eorum Ecclesiis, per quæstores, seu collectores deputatos a Commissario, vel Syndico Apostolico Terræ Sanctæ colligantur eleemosynæ pecuniariæ pro ipsa Terra Sancta; præsertim tempore Adventus, & Quadragesimæ, juxta Apostolicas Sanctiones, in favorem sacrorum Terræ Sanctæ Locorum sæpius editas, atque iteratas. 86

Poterunt secundò consentire, ut personæ ab Episcopo, vel Magistratu deputatæ, pecunias, intra nostras Ecclesias, colligant, seu quæritent, pro pauperibus Civitatis, Loci, Diœcesis &c.

Poterunt tertiò permittere, ut aliqua pia Societas, vel devotæ personæ pecuniarias eleemosynas, intra nostras Ecclesias colligant, pro Animabus Purgatorii; præsertim Dominica quarta Quadragesimæ, qua juxta pium, & laudabilem Catholicæ Ecclesiæ morem, Concio haberi solet ad incitandos Fideles, ut iisdem Animabus suffragium ferant.

Nota. Ubi tamen cavendum Fratribus, ex dictis sub num. 83., ne jus aliquod ipsi habere pretendant circa prædictas eleemosynas, in eorum Ecclesiis pro Purgatorio collectas; quasi videlicèt tenerentur pii collectores, ex iisdem eleemosynis Missarum celebrationem Fratribus ipsis committere; sed debent Fra-

tres collectoribus liberum relinquere, ut de collectis eleemosynis disponant, prout Dominus ipsis inspiraverit. Aliàs enim, aut intendissent in permittendo in propria Ecclesia pecuniariam quæstuationem, quod intendere non poterant, propriam nempè utilitatem; aut vellent postea, contra omnem rationem, quod antea non intenderunt.

Ex dictis denique sub num. 84, non possunt ulteriùs consentire Fratres, ut etiam ab extraneis quibuscunque, cyppi, trunci, disci, vel capsulæ in nostris Ecclesiis expositæ teneantur, ad pecuniarias eleemosynas, pro quacunque causa, colligendas; & etiam cum inscriptione manifestante, pro qua causa, pecunia colligi intenditur: cum enim non omnes ad Ecclesias nostras accedentes legere sciant, possent de facili in errorem induci, ac minus rectè de Fratribus judicare.

PROPOSITIO XV.

87 UBi agitur de pecuniariis quæstuationibus licitis, nec ulla lege vetitis, Fratrum nimirùm utilitatem nullatenus concernentibus, & per personas ad Fratres nullatenùs attinentes, sivè in Fratrum Ecclesia, sivè alibi peragendis; non dedecet Fratres, ubi requisiti, vel rogati fuerint, iis in casibus, eleemosynæ largitionem Fidelibus commendare.

Probatio. Cùm hìc de quæstuationibus loquamur omni ex parte licitis, nec ulla lege, aut ratione vetitis; consequens planè est, ipsis quoque Fratribus licitum esse in his casibus eleemosynæ largitionem Fidelibus commendare. Fideles enim ad opus omni ex parte licitum hortari, nullibi Fratribus invenitur pro-

prohibitum. Quin mò loquendo de eleemosynis intra nostras Ecclesias colligendis, judicarem, id esse maximè expediens; nempè ad tollendam populi ignorantiam; qui alias existimare possent, pecunias colligi in Fratrum utilitatem: quod maximè cavendum esse, jam monuimus suprà (n. 84.)

Nequis autem, hujus nostri asserti occasione, ansam arripiat nos reprehendendi, quasi hic admittamus tanquam Fratribus licitum, quod ipsis illicitum suprà pronuntiavimus, sub num. 81.; animadvertat oportet, sermonem ibi esse de quæstubus pecuniariis in Fratrum ipsorum commodum peragendis; hic autem de quæstubus pecuniariis, ut patet ex Propositione, Fratrum utilitatem nullatenùs concernentibus: sicque in illis, non verò in istis, quæstores haberi posse, relatè ad Fratres, tanquam personas interpositas (ex notatis sub num. 74. 77. & 82.); ex quo unico capite peti potest, in ordine ad commendationem eleemosynæ pecuniariæ a Fratribus faciendam, illicititatis ratio; ex dictis sub num. 74. & 77., undè corollarium deduximus quod habetur sub num. 82.

PROPOSITIO ULTIMA.

PRæmissæ Propositiones, in quibus pronuntiatur aliquid Fratribus illicitum, seu prohibitum, ex Legibus fluunt Fratres Minores obligantibus in conscientia, & quidem sub gravi. Quæ leges in pleno etiamnùm vigore sunt, nec ullatenùs abrogatæ: Et quæcunque in contrarium consuetudo, siquæ sit, abusus, & corruptela dicenda est; adeoque abjicienda.

Probatio primæ partis. Ut præsentis Propositionis, 88

quæ, ut omnium postrema, ita & omnium præmissarum veluti fulcimentum, & firmamentum esse debet, claram simul, & solidam probationem afferamus; ad mentem revocemus oportet, nos in stabilienda unaquaque ex præmissis Propositionibus, nullo unquam argumento usos esse, quod in alterutro Regulæ nostræ Præcepto, vel scilicet *de non recipienda pecunia*, vel *de omnimoda rerum omnium expropriatione* (quorum prius cap. 4., alterum verò cap. 6. ejusdem Regulæ continetur) expressum, aut fundatum non esset; seu quod ad alterutrum Præceptum illud, & præsertim ad primum, apertam relationem non haberet. Interdum enim textum ipsum Regulæ in medium protulimus, sæpiùs verò Apostolicas Summorum Pontificum, sacrarumque Urbis Congregationum super eandem Regulam, eademque maximè Præcepta, declarationes produximus: quarum nihil profectò sit, quod meliùs, aut veriùs genuinum ipsius Regulæ, ipsorumque Præceptorum intellectum nobis patefacere queat. Quo ad mentem revocato, haud difficile nobis erit ostendere in primis, præmissas omnes & singulas Propositiones, in quibus Fratribus aliquid illicitum, aut interdictum asseritur, ex Legibus fluere Fratres ipsos Minores obligantibus in conscientia, & quidem sub gravi; quæ est prima hujus Propositionis pars: Quam quidem ex doctrina gravissima, atque auctoritate trium præsertim Romanorum Pontificum Nicolai III., Clementis V., & Innocentii XI., etiam in Tractatus decursu sæpissimè laudatorum; & insuper ex perpetua, constanti, ac firma Patrum, & Doctorum nostrorum persuasione, ac sententia, ita stabilire aggredimur.

89 Primò siquidem plura esse in nostra Regula (præter tria vota) præcepta, quæ Professores Regulæ ejusdem, ad ipsorum observationem in *conscientia*, & sub *mortali* adstringunt, & inter quæ potissimum locum tenent duo præcepta mox recensita *de non re-*

recipienda pecunia, & *de omnimoda rerum omnium expropriatione*, docuit satis ex ipsò Nicolaus III in sua Decretali *Exiit* §. 5. *In primis*; ubi ex multis, quæ in Regula Minoritica continentur, nonnulla dicit esse præcepta, *ad quorum observantiam* Fratres absolutè *tenentur*; eaque esse, quæ *in eadem Regula sub verbis obligatoriis inducuntur*, hoc est *præceptoriè, vel inhibitoriè, seu sub verbis æquipollentibus exprimuntur*: nonnulla verò ait esse mera consilia, *quorum observantiam* solùm *de bono, & æquo condecet Fratres prosequi*; & hæc esse, quæ *sub verbis monitoriis, exhortatoriis, informatoriis, & instructoriis* vel similibus *continentur*.

Clemens verò V. in Decretali *Exivi* §. 3. *Cùm igitur* rem clariùs adhuc exponit; Ait enim quod *Fratres non solùm ad illa tria vota* (vivendi videlicet in obedientia, sine proprio, & in castitate) *nudè, & absolutè accepta, ex professione suæ Regulæ, obligantur; sed etiam tenentur ad ea omnia implenda, quæ sunt pertinentia ad hæc tria prædicta, quæ Regula ipsa ponit*. Et post adductam hujus rei congruam rationem, subdit: *Nec tamen putandum est, quod B. Franciscus Professores hujus Regulæ, quantum ad omnia contenta in Regula modificantia tria vota, seu ad alia in ipsa expressa, intenderit æqualiter esse obligatos; quin potiùs apertè discrevit, quod quoad quædam ipsorum, ex vi verbi, transgressio est MORTALIS; & quoad quædam alia, non; cùm ad quædam ipsorum verbum apponat præcepti, vel æquipollentis eidem; & quoad aliqua aliis verbis sit contentus*. Deindè pergit hic Pontifex (proximè seq. §) distinctius, quàm fecerat Prædecessor suus Nicolaus III., explicare, quænam haberi debeant præcepta Fratres rigorosè, & *sub gravi* obligantia; & eorum, quæ minùs clarè constat ex Regula, inter præcepta rigorosa esse habenda, & quæ ipse, post Nicolaum, *præceptis æquipollentia* vocat, catalogum texit. 90

91 Denique Innocentius XI. per suam Const. *Sollicitudo* §. *Nec pro majori*, pronuntiat in primis, Fratres Minores de Corpore Observantiæ *teneri IN CONSCIENTIA observare Regulam Fratrum Minorum Sancti Francisci, & præcepta ejus a fel. rec. Nicolao III. & Clemente V. Romanis Pontificibus prædecessoribus* suis *exposita, & numerata, ad formam Constitutionum prædictarum* (duorum scilicèt præfatorum Pontificum) *respectivè; & signanter &c.* Hìc nonnulla præcepta ex numeratis a Clemente V. recenset, eorumque observationem inculcat: *Ac demùm* concludit, *Fratres teneri ad capitale præceptum Religionis Fratrum Minorum, de non recipiendis denariis, per se, vel interpositam personam*.

Ex quibus trium laudatorum Pontificum declarationibus, & sanctionibus constat manifestissimè, Fratres Minores teneri *in conscientia*, & *sub mortali* ad plurium observantiam præceptorum in eorum Regula contentorum; & maximè ad observantiam præcepti *de non recipienda pecunia*, ut & illius *de omnimoda rerum terrenarum omnium expropriatione*; in quibus præsertim, eorumque authenticis, genuinisve expositionibus, ut mox dicebamus, & ex congerie totius Tractatus liquet, argumenta cuncta fundantur, quæ ad probandas omnes, & singulas præmissas Propositiones adhibuimus. Atque adeò nullus superest dubitandi locus, quin eædem omnes, ac singulæ Propositiones, ex Legibus fluant Fratres Minores obligantibus *in conscientia*, & quidem *sub gravi*: quæ fuit prima postremæ hujus Propositionis pars

92 Quæ insuper confirmatur ex perpetua, constanti, ac firma Patrum nostrorum, ac Doctorum persuasione, ac sententia. Cujus siquis certior fieri voluerit (quoniam præfixa nobis brevitas id præstare non sinit) Expositionem super Regulam adire poterit quatuor Magistrorum Alexandri de Hales, Johannis de Rupella, Roberti de Bascia, & Richardi; Expositionem

nem Doctoris Seraphici S. Bonaventuræ; Expositionem F. Hugonis de Dina; Expositionem Magistri Johannis de Pechano Episcopi Cantuariensis; Compilationem F. Bartholomæi de Pisis; Expositionem quorundam notabilium Patrum Ordinis, quæ habetur in Firmamento trium Ordinum; ac denique Tractatum F. Gundisalvi, & F. Nicolai de Auximo; quorum alter habetur in Firmamento trium Ordinum; alterum in antiquis manuscriptis Membranis Ordinis, sibi videre licuisse testatur Statutorum Vallisoletanorum anni 1593 Compilator.

Verùm, quod primam spectat hactenùs probatam Propositionis partem, paucos futuros existimo, qui contradicant. Quod autem prædictæ Leges, quæ in se consideratæ, atque inspectæ, & ex primæva sua origine (sicut ostendimus) Fratres *in conscientia*, & *sub mortali* obligare habent; in pleno etiamnum vigore sint, nec ullatenùs abrogatæ; hoc est quod fortè a nonnullis in controversiam vocari posset; & quod nobis consequenter modò probare incumbit. Sit ergò.

Probatio secundæ partis. Equidem quod Regula 93
Minoritica, cum omnibus suis præceptis, ad sensum Apostolicarum, præsertim Nicolai III., & Clementis V. sæpiùs memoratarum Declarationum, seu tam Regula ipsa, quàm Declarationes prædictæ, eamdem hodie habeant, quam initio habuerunt obligandi vim; neque jam abrogatæ, aut vi obligandi vacuæ jam effectæ, tàm in totum, quàm in partem, censeri queant, hoc pacto demonstrare pergimus „ Ad hoc ut Leges illæ, vel in partem, abrogatæ censeri possent, oporteret profectò, ut vel Superior legitimus, in ea saltem parte, in qua abrogatæ prætenderentur, expressè dispensasset, eaque dispensatio acceptata, nec revocata foret; vel ut legitima in contrarium consuetudine, jam eis derogatum esset: neque enim aliæ assignari possunt; ex communissima omnium

Canonistarum, Moraliumque Theologorum sententia) Legum abrogandarum viæ. Jam autem in casu nostro neutrum affirmari potest.

94 Non quidem primum. Etsi enim inter Romanos Pontifices (quibus tantùm jus esse poterat in Legibus prædecessorum Pontificum dispensandi) nonnulli extiterunt, qui in aliquibus memoratarum Regulæ, & Decretalium punctis quandoque dispensarunt; ut a tequam per Leonem X. Observantes a Conventualibus separarentur, Martinus V., & Julius II. (1); & post Leonem X., Gregorius XIII., & Sixtus V. (2) fecisse dignoscuntur; horum tamen dispensationes, vel nunquam acceptavit Religio, seu Corpus Observantiæ; vel certè per posteriores Pontifices expresè revocatæ fuerunt. Siquidem ejusmodi dispensationes omnes præcedentium Pontificum, & signanter Julii II., sivè per Litteras, & motu proprio, sivè per vivæ vocis oraculum, contra Regulæ nostræ tenorem factas, revocavit, & abrogavit Urbanus VIII., & ad integram ejusdem Regulæ Observantiam, juxta Declarationes Nicolai III., & Clementis V., Fratres de Observantia obstringi, declaravit die 1. Octob. 1625., Const. incip. *Sacrosanctum Apostolatus*. Idemque, quod Urbanus VIII., præstitit quoque sub die 20. Novemb. 1679. Innocentius

(1) Dispensationes Martini V. duplici Const. continentur, quarum prima incipit *Pervigilis more Pastoris*, ap. Gub. Orb. ser. t. 2. pag. 494.; altera incipit *Ad statum Ordinis* ap eumd. ibid. pag. 496. Dispensationes vero Julii II. habentur præsertim Const. incip. *Exponi nobis* ap. eumd. ejusd. Operis t. 2 pag. 517. — Vide etiam observationes cit. Auctoris t. 2. pag. 208. 494. & 504.

(2) Vide Stat Vallisol. tit. *de non recipiend. pecun.* ap. Gub. Orb. ser. t. 3. pag. 446. & tit. *de domibus, & pratis non locandis* ap. eumd. ibid. pag. 45

tius XI. per suam sæpiùs laudatam Const. *Sollicitudo*; necnon Innocentius XII. sub die 2. Julii 1695. Const. quæ incipit: *Aliàs a fel. rec. Innocentio Papa XI.*, qua dicti Innocentii prædecessoris Constitutionem confirmat. Nullus verò post tempora Urbani VIII., multòque minus post tempora utriusque Innocentii, Romanus Pontifex laudari potest, qui Fratres Minores de Communi Observantiæ a stricta observantia Regulæ per Honorium III. approbatæ, & Decretalium Nicolai III. & Clementis V. dispensaverit. Quare si via dispensationis attendatur, haud dubie prædicta Regula, prælatæque Decretales illam exponentes, in pleno etiamnum vigore esse dicendæ erunt.

Sed neque per viam contrariæ consuetudinis præ- 95
dicta Minorum Regula, & Pontificiæ super eamdem expositiones, vel in aliquo puncto, abrogatæ dici possunt. Etenim, ut consuetudo in contrarium alicui humanæ legi derogasse dici queat, hæc duo ex cap. final. *de consuetudine*, concurrere omninò debent, videlicet quod ipsa sit *rationabilis*, & quod *legitimè sit præscripta*: Nam, ut ibidem dicitur, *Licèt etiam longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeò valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi sit rationabilis, & legitimè sit præscripta*. Requiritur, inquam, primò, ut consuetudo sit rationabilis; hoc est (quemadmodum Canonistæ exponunt, & inter eos præsertim sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. lib. 13. de Synodo Diœces. cap. 5. num 5.) *ut neque Juri divino, neque naturali contraria sit, nec expressè a Jure reprobata, aut in Legislatoris contemtum invecta*. Et insuper ut legitimè sit præscripta, hoc est, *ut a majori Communitatis parte liberè, & spontè sit inducta, pluribusque, ac continuis actibus frequentata, animo Legem tollendi; ac demùm ut adsit consensus Legislatoris, non quidem expressus, & personalis, sed consensus legalis, & juridicus, qui nimirùm jam habetur per Leges & Ca-*

no-

tiones, omnem consuetudinem populi moribus inductam approbantes, eique vires tribuentes abrogandi legem; sive, ut alii ajunt, requiritur, & sufficit, quod *Superior expressè non contradixerit*, seu quod ipsius consensus, saltem negativus accesserit.

96 Jam autem, hisce stantibus; siquæ afferri possit consuetudo Regulæ nostræ aliquo pacto contraria, aut memoratis ipsius Declarationibus, vel in aliquo, adversa, facilè probare poterimus, hujusmodi consuetudinem utraque necessaria conditione destitui, eam nempè nec esse *rationabilem*, nec *legitimè præscriptam*; atque adeò non valuisse prædictæ Regulæ, aut præfatis Declarationibus præjudicium inferre, seu illas abrogare. Quippè non esset in primis talis consuetudo *rationabilis*, utpotè à Jure, seu Pontificiis Constitutionibus expressè reprobata. In Bulla namque Innocentii XI. (num. præc. laudata) quæ incipit *Solicitudo*, & in alia Innocentii XII., quæ incipit *Alias a fel. rec. Innocentio Papa XI.*, prioris Bullæ Innocentii XI. confirmativa, non solum revocantur quæcunque dispensationes, siquæ contra tenorem Regulæ nostræ, & Decretalium Nicolai III., & Clementis V. jam emanatæ fuissent; sed quæcunque insuper revocantur, & reprobantur consuetudines, siquæ contra præmissas Minorum Regulam, & Decretales eam exponentes, jam in Ordine Minorum de Observantia invectæ essent, aut quas etiam in posterum invehi fortassè contingeret; sic enim ibi §. *Ac propterea* habetur in terminis: *Ac propterea omnes, & singulas dispensationes, concessiones, & CONSUETUDINES, siqua contra præmissa* (hoc est contra præcepta Regulæ, quæ præcedenti §. recensuerat) *in Corpore Observantiæ Ordinis prædicti reperiantur, motu, scientia, deliberatione paribus, earumdem tenore præsentium, revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitùs, & omninò vacuamus, ac revocatas, cassatas, irritas, & nullas,*

las, viribusque, & effectu penitùs, & omninò vacuas esse, ET PERPETUO FORE, *decernimus*, *& dec ara. mus*. Ubi, ut nemo non videt, expresfè reprobantur consuetudines omnes, cùm præteritæ, ac præsentes, tùm etiam futuræ, quomodocunque Regulæ nostræ, & Pontificiis super eam Declarationibus contrariæ. Quanquam, etsi non expresfè etiam futuras consuetudines Pontifex reprobaret, & tantum revocaret expresfè hujusmodi consuetudines generatim, etiam futuræ tanquam reprobatæ haberi deberent: Nam, ut inquit P. Lucius Ferrari in sua Bibliotheca edit. Rom. 1757. verb. *Consuetudo* num. 53., *Consuetudo a Lege, seu Constitutione reprobata, tanquam irrationabilis, & iniqua, intelligitur, nedum de consuetudine præsente, seu existente, sed etiam de futura, cap. Ad audientiam* 3., *& cap. Cùm inter* 4. *de consuetudine, atque etiam ad futuros casus ordinatur, cap. ultimo de consuetudine*. Ex quibus manet evidenter ostensum, quamcunque consuetudinem, siquæ fortasfè sit, Regulæ nostræ, & Decretalibus eam exponentibus adversam, a Jure expresfè reprobatam esfe; atque adeò non *rationabilem*.

Sed nec insuper foret ejusmodi consuetudo *legitimè præscripta*; quia nempè illi deesset assensus, vel negativus, Legislatoris. Idque vel maximè probatur ex eo, quod juxta mandatum Innocentii XI in sua prælaudata Const. *Solicitudo* §. *Ut autem*, nemo possit recipi ad Habitum Regularem in Ordine nostro, nisi priùs plenè sit informatus de præceptis Regulæ nostræ obligantibus in conscientia; nec in eodem Ordine ad Professionem regularem quis admitti, nisi priùs examinatus sit de prædictis Regulæ Præceptis, deque intellectu ejusdem Regulæ, juxta Declarationes Nicolai III., & Clementis V. sæpisfimè memoratas, necnon Martini IV., & V. & Pauli IV., quarum tenorem suprà exhibuimus, sub num. 13. 16. 19. & seqq.; & de quibus §. proximè præ-

præced. mentionem fecerat ipsemet Innocentius; atque juxta contenta in illis Constitutionibus, protestetur ipsemet Profitens expressè, se velle seipsum in profitendo obligare; sub eaque protestatione revera Professionem emittat. Quod mandatum Innocentii XI. cum in Novitiatibus nostris, antequam alicui Religionis Habitus concedatur, & antequam ad Professionem aliquis admittatur, etiamnùm religiosè, ut par est, observetur, & ad praxim deducatur, ut cuilibet nostrum compertum est; hinc videtur invictè concludi posse, Superiores nostri Ordinis, unà cum Summo Pontifice, in cujusque Religiosi Vestitione, ac Professione expressè reclamare contra quamcunque consuetudinem, quam contra Regulam nostram, ejusque recensitas Declarationes, quis introducere in Ordinem conatetur. Atque adeo fit partter consequens, quod ejusmodi consuetudini, siquæ foret, etiam altera deesset conditio, *legitimæ* videlicet *præscriptionis*, propter Legislatoris assensus vel negativi defectum.

98 Accedit quod universa Religio in suis Prælatis repræsentata, & in Comitiis Generalibus adunata, semper protestari consuevit, se velle Regulam puram, juxta Declarationes Nicolai III., & Clementis V., quacunque in contrarium dispensatione, aut consuetudine rejecta, observare. Sic enim (omissis Generalibus Capitulis ante Compilationem Statutorum Vallisoletanam anno 1593. editam celebratis) protestatum præsertim fuit, ut ex Actis apparet, in Cap Gen. Tolet. 1606., & in Rom. 1612., in Cong. Gen. Rom. 1628., in Cap. Gen. Tolet. 1633., in Victorien. 1694., in Rom. 1700., & in Rom 1723.. Ex quibus protestationibus manifestissimè apparet perpetua Prælatorum Ordinis, & Ordinis ipsius universi, contra consuetudines Regulæ nostræ, & ejus sæpe dictis Declarationibus adversas, reclamatio.

Et revera, si quemlibet Religiosum de Corpore

Ob-

Observantiæ vellemus singillatim, ad ejus mentem, expiscandam, interrogare, atque ab eo petere, num Regulam S. Francisci omninò puram, & indispensatam se profiteri intendat; & an aliquam super Regulam ipsam relaxationem dispensationem, a jure, vel consuetudine inductam admittat? Ne unum quidem, ut puto, reperiremus, qui ad primum quæsitum, *affirmativè*, ad alterum, *negativè*, non responderet. At verò protestari, se Regulam omninò puram, ac prorsus indispensatam profiteri; nec ullam super eam relaxationem dispensationem, a jure, vel consuetudine inductam admittere; simulque existimare, se ab alicujus ejusdem Regulæ præcepti observatione esse, propter aliquam in contrarium consuetudinem, in conscientia exemptum; nonnè duo sunt manifestissimè sibi invicem contradictoria? Ne hanc ergò contradictionem, vel ipso intimo rationis sensu refragante, cogantur Fratres admittere; conformiter ad eorum protestationem fateantur oportet, nullam esse legitimam consuetudinem, contra Regulam nostram, ejusve Declarationes quomodolibet inductam, qua, si ipsam Regulam, aut ipsas ejus Declarationes integrè non observent, seipsos valeant in conscientia tueri.

Neque ergò, ut tandem concludamus, neque per viam propriè dictæ dispensationis, ut suprà ostensum est sub num. 94.; neque per viam legitimæ in contrarium consuetudinis, quæ nempè sit *rationabilis*, & *legitimè præscripta*, ut ostendimus sub sequentibus num. 95. 96. & 97., Regulæ nostræ Minoriticæ, aut Apostolicis super eandem Declarationibus, ullatenus derogatum possumus affirmare. Atque adeò Leges illæ, in quibus præcedentium Propositionum probationes omnes fundavimus, & ex quibus consequenter omnes illæ Propositiones fluunt, in pleno etiamnùm vigore esse, nec ullatenùs abrogatæ dicendæ sunt. Quæ erat postremæ hujus Propositionis pars altera.

Pro-

99 *Probatio tertiæ partis*. Ex dictis in probationem secundæ præcedentis partis (num. 95. 96. & 97.) constat & tertiæ hujus partis veritas. Si enim, ut ibidem ostensum est, quælibet consuetudo contra Regulam nostram, & ejus Declarationes (in quibus præmissæ omnes hujus Tractatus Propositiones fundantur) fortassè in Ordine inducta, nec *rationabilis* foret, nec *legitimè præscripta*; sequitur, eam veriùs corruptelam, quàm consuetudinem esse appellandam; neque enim consuetudinis, sed potiùs corruptelæ, & iniqui abusus, consuetudo illa nomen meretur, quæ conditionibus per canones, & leges, ut legitima dici possit, requisitis, destituta est, ex cap. *Cùm tantò final. de Consuetudine*.

100 *Probatio quartæ partis*. Quod si abusus, & corruptela potiùs, quàm verè, ac propriè consuetudo illa esset habenda, quæ Regulæ nostræ, & ejus Declarationibus (ex quibus, ut ostendimus, Propositiones cunctæ hujus Tractatus tanquam ex fontibus fluunt) vel in aliquo adversaretur: sequitur ulteriùs, eam nullatenùs tolerari posse; sed esse omninò abjiciendam; & antequàm radices suas, ad animarum Fratrum perniciem, altius figat, radicitùs esse per Ordinis Moderatores evellendam, ex can. *Mala autem ap. Gratian. dist. 8. primæ partis*; ibi: *Mala autem consuetudo, non minùs, quàm perniciosa corruptela, abjicienda, & vitanda est; quia nisi citiùs radicitùs evellatur, in privilegiorum jus ab impiis assumitur; & incipiunt prævaricationes, & variæ præsumptiones celerrimè non compressæ, pro Legibus venerari, & privilegiorum more perpetuò celebrari*.



RE-

REGESTUM.

Constitutionum Apostolicarum, & Decretorum Sacrarum Urbis Congregationum, quæ in hoc Tractatu laudantur.

CUm præter Regulæ Minoriticæ Textum Fratribus omnibus, & singulis notissimum, utpotè nemo eorum existens, qui Regulam penes se non habeat; & duas Decretales Nicolai III., & Clementis V., quibus eadem Regula declaratur, similiter notissimas, utpotè in Corpore Juris Canonici insertas; plures alias Pontificias Constitutiones non adeò notas, sicut & varia sacrarum Urbis Congregationum Decreta non satis obvia, in Tractatus decursu laudaverimus: ut ei, qui illarum, vel istorum tenorem per seipsum pervidere voluerit, major accedat facilitas; Auctores, apud quos a nobis earum perlecta fuerunt, hic indigitare non incongruum putavimus. Itaque.

Const. *Quò elongati a Sæculo* Gregorii IX.; ap. Gubernati Orb. ser. tom. 1. pag. 560.

Const. *Ordinem vestrum* Innocentii IV.; ap. eumd. ibid. pag. 563.

Const. *Quantò studiosiùs* Innocentii IV.; ap. eumd. ibid. pag. 509.

Const. *Cùm Dilecti* Clementis IV.; ap. eumd ibid. pag. 511.

Const. *Voluntariæ paupertati* Gregorii X; ap Wadirg. Annalium tom. 4. pag. 414.

Const. *Exultantes in Domino* Martini IV.; ap. Gubern. Orb. ser. tom. 1. pag. 566.

Const. *Religionis favor* Nicolai IV.; ap. eumd. ibid. pag. 511.

Const. *Vestra Sacra Religionis* Bonifacii IX.; ap. eumd. ibid. pag. 514.

Const.

Const. *Amabiles fructus* Martini V.; ap. eumd. ibid. pag. 513.

Const. *Vacantibus sub Religionis* Clementis VII.; ap. eumd. ibid. pag. 114.

Const. *Ex Clementi Sedis Apostolicæ* Pauli IV.; ap. eumd. ibid. pag. 525.

Const. *Ex debito* Clementis VIII.; in Bullar. Rom. edit. Lugdun. tom. 3. pag. 152

Const. *Sacrosanctum Apostolatus* Urbani VIII.; in Bull. Rom. edit. Lugd. tom. 4 pag. 96.

Const. *Sollicitudo* Innocentii XI.; ap. Perusinum Chron. ser. par. 1 pag. 178.

Const. *Alias a fel. rec.* Innocentii XII.; ap. eumd. Ibid pag 410.

Decretum S. C. negotiis Ordinis nostri præpositæ 14. Jun. 1628; in Bull. Rom. edit. Lugd. tom. 4. pag. 99.

Decret. S.C. Rev. Fabricæ circa Legata 14. Feb. 1653.; ap. Perus. in Chron. ser. par. 1. pag. 381.

Decret. S. C. Concilii circa Capsulas in sacrariis 7. Jul 1708.; ap Perus par. 1. pag. 416.

Decret. S. C. Concilii circa Officiaturas perpetuas 18. Nov. 1719.; ap. eumd. ibid. pag. 580.

Decret. S. C. Concilii circa Capsulas in alienis Ecclesiis 6. Maii 1741.; ap. eumd. ibid par. 2. pag 449.

Encyclica *Altissima paupertas* 28. Octob. 1724. ap. eumd. ibid. par. 2. pag. 33.

In citandis Paragraphis duarum Decretalium Nicolai III. *Exiit*, & Clementis V. *Exivi*, eam observavimus Paragraphorum distinctionem, quam Decretales prædictæ habent apud Gubernati in Orbe Seraphico; prior scilicet tom. 1. cit. Oper. pag. 543.; altera verò eod. tom. 1. pag. 554.

F I N I S.

Fr. Pa-

Fr. Paschalis a Varisio Ordinis Minorum S. P. N. Francisci Lector Emeritus, & in tota Cismontana Familia tàm Observantium, quàm Reformatorum, & Conceptionistarum Commissarius Generalis, & in Domino Servus.

CUm Opusculum, cui titulus „ *Tractatus de Receptione, & Usu Pecuniæ, relatè ad Fratres Minores Regularis Observantiæ S. P. Francisci* „ a P. Fr. Ludovico de Pelago nostræ Observantis Provinciæ Tusciæ Lectore Generali, atque Ex Definitore compositum, a duobus Patribus Theologis, quibus id commisimus, revisum, & approbatum fuerit, vigore præsentium facultatem eidem concedimus, quatenus, servatis servandis, illud typis mandare possit.

Dat. Florentiæ ex nostro Cœnobio Omnium Sanctorum die 29. Aprilis 1765.

Fr. Paschalis a Varisio Comm. Gen.

Loco ✠ Sigilli.

De mandato Reverendiss. in Christo Patris.
Fr. Jacobus Antonius Tusculanus Secret. Gen.